














No 1191.







Q. HORATII FLACCI ARS POETICA,

AD P. RAMI DIALECTICAM & Rhetoricam, resoluta:

Studio ANDREAE KRAGII *Ripensis Dani.*



Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM Henricpetri.

GENEROSO ET NOBILI VIRO: D. NICOLAO KAAS, D. DE Torup, &c. Regiæ Maiest. in Dania, &c. consiliario & cancellario prudentissimo, fidelissimo, intimo, Patrono & Mœcenati suo, summa obseruantia colendo S.



ON est me clam, MAECENAS, iampridem viros insignes, & philologiæ veluti promos & condos, in quorum vestigia pedem me, hoc præsertim geniȷ, ingeniȷ, & temporum statu, positurū, vix est quòd mihi pollicear, certatim in Horatiȷ Artem Poëticam, cōmentarios eleganter & prudenter conscriptos edidisse: vt nequicquam hi labores à me suscepti multis videri poßint. Sed tantum abest me propterea à proposito prohiberi: vt etiā ijs qui hoc sunt me condemnaturi calculo, quod ad culpam non minus faciet, sed ad laudem meam minus, profitear. Profitebor enim id non solum verè de aliorum egregiȷs laboribus prædicari, admonitus prouerbio, post Homerum Iliadem scribere: verumetiam me multis abhinc retrò annis idem scriptum, publicè cōmentariȷs doctis explicatum, à viro doctißimo, M. PETRO HAGGAEO, linguæ Græcæ in Regia Academia Hafniensi professore fidelißimo, accepisse: eiq́ue quod in huius scripti obscuritate inuestiganda & resoluēda assecutus sim, bona ex parte acceptum mihi esse ferendum. Quid ergò rei est? Aut quam tandem à me grauiorē verioremq́ue confeßionem expectant & requirunt? Sed nihilominus in magnā spem erigor, tantum etiā mihi iuris ac libertatis in meo analyticè expoliēdo Horatio adiudicandū: quantū aliȷ nonnulli, vel nemine consulto sibi sumserunt, vel

cum gratia applausuq; sui theatri impetrarunt: saluis tamen veritatis limitibus, qui nostrorum studiorum prora & puppis meritò habentur. M. PETRVS HAGGAEVS nec vult, nec potest molestè ferre: quod proposita publicè, propria, mutata forma, iuxta Horatij præceptum, fecerim: cum tali iam sint cultu, habituqúe donata: vt non amplius Haggæana illa appellari, sed nostra, si studium quod in expoliendo illustrandoq; sumsimus: & Ramea, si Methodi lucidißimam ἀκρίβειαν quispiam spectet, debeant.

Hanc veniam & libertatem, dum mihi dari, ab ijs, qui cum Musis humanißimas Gratias coniunxerunt, postulo: nolim quenquam in animum inducere me librarij scriptoris functurum officio: ac alterius alicuius quantumuis magni viri commentarios in publicum emissurum: aut alienis me plumis exornaturum. Quin potius, quod sine iactantia auditum & dictum velim, vt omnes ad vnum commentatores tempore, ætate, educatione, ingeniorum doctrinæq; varietate, & ipsa voluntate à se dissentiunt: sic & ego ab omnibus, qui à me sunt lecti, citra contumeliam dissentiam. Si tamen quibus in rebus hæc diuersitas sita esset exponere aggrederer: mox huic Thraso aut Aristarchus, illi Gnatho dicerer. De industria itaq; hoc labore supersedens: candidè aperiam quid ego noui in Artem Poëticam Horatij sim, præ reliquis, allaturus.

Neglecta grammaticali & superstitiosa verborum vsque ad, nescio quos, atomos resolutione: prætermissa quinetiam controuersia de varijs lectionibus & interpretationibus: Mythologiarum & fabularum, alioquin non planè contemnendis, enarrationibus posthabitis: primus in Arte Poëtica Horatij, non crebram sed continuam & perpetuam Dialecticam, vt Grammaticam, sum pro virili demonstraturus.

Præceptis, huius artis, ordine distinctis & propositis: illa pulcerrima rerum verborumq; lumina, & elocutionis sidera, con-

firmationes

firmationes dico, amplificationes, ornamenta sua singulis attribuam: vt nihil nobis in Horatio nostro occurret ἀσύμβολον καὶ ἄδηλον, quod proprium præceptum, tanquam paruulam, sed tamen certißimam, cynosuram, aut si mauis dominum non respiciat: aut quodammodo studiosè obseruet. Hoc non tàm eo consilio facio, vt præcepta, quæ tamẽ nunquam dignis satis laudibus sunt decantata, intelligantur: quàm vt Aristotelicis principijs αἰσθήσει, ἐπαγωγῇ, ἱστορίᾳ, ἐμπειρίᾳ sensu, inductione, obseruatione, experientia conuincam: Dialecticam esse perpetuam in hoc, omniumqúe claßicorum oratorum & poëtarum scriptis: Syllogismos tàm frequentes, quàm propemodum in ipsius Platonis & Aristotelis erudítißimis disputationibus. Hoc iam dicere & expromere, non minoris periculi rem esse quàm laboris, plurima sanè sunt quæ edocent. Grauißimam habeo, inter alia, aduersariam ignorantiam, perpetuam illam calumniatricem: quæ multis Scholis firmiter, sed falsò persuasit: Dialecticæ vsum, solùm in altercationibus de præceptis, consistere: & alatas prius in aëre balænas, quam Dialecticam in orationibus, foro, aut rostro visum iri. Cui opinioni, qui non sine omni deliberatione & circũspectione suum calculum & suffragium adiunxerit, indicta caussa, Rameus, hoc est, homo tribunitius, veræ, solidæq; philosophiæ perduellis, vltra extremos Garamantas expellendus, condemnatus proscribitur. Sunt mihi in numerato sanequã multa eius præiudicij exẽpla, quæ hæc nimis vera esse conuincunt: sed ægrè meipsum à nonnullorũ increpitationibus (vt grauiori verbo non vtar) tueor, ex quo veræ & Socraticæ philosophiæ me dedidi: nedum otium in miserando aliorum fortunam suppetit. Vna hac principe, inter alias consolationes philosophicas, animum erigo: quod veritas, sæpius oppressa, ad tempus opportunũ dilituerit: depressa vsque adhuc nunquam succubuerit.

Hactenus de nostro studio: & interpretatione logica Horatij.

Nunc verò (vt tua pace Vir Magnifice ad te προσφώνησιν instituã) si quis me temeritatis & arrogantiæ insimulet: quod hasce meas iuueniles exercitationes, summi sapientißimiq; viri nomine & patrocinio, velut Aiacis Clypeo munitas, emittendo, eius iudicium purum & seuerũ neglexerim: ei sic responsum esto. Me non minus exspectare ab eo quem iudicẽ petij & sumsi, æquitatem: quam acumen, sapientiã & iusticiam: nulloq; potuisse me periculo aut pudore destinari, quin ad eum in mea caussa appellerem, quem omnes iudicem & disceptatorem iustißimũ & æquißimũ agnoscunt & venerantur. Quid, quod persuasißimum fuit, me magnum operæpretium facturum, si huic meorum studiorum rationem redderem, cui si quid est in ijs operæpretium totum sit debitum: quoties enim ruinas edere minarentur, ab eo firmiter & tempore opportuno sunt sublices subditæ.

Sed quid ego laudẽ à tanto patrono expeto? cum omnes Dani qui in Musarũ laudatißimis castris stipendia faciunt, hanc laudem sibi communem mecum propter communem patronum, læti glorientur.

Quæ cum ita habeant, conspiremus, Deum precibus sollicitando, omnes: vt hunc nostrum patronum diu, commodeq; conseruatum velit: in sui nominis gloriã: Ecclesiæ indigentis & Scholarum, in quibus nos membra sumus, vtilitatẽ: & familiæ Kaasiorum perpetuum Decus. Datum Athenis Heluetiorum, ipsis Kal. Februar. Anno, ab instaurata nostra salute per Christum. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

Magnif. T.
deditiss.

AND. KRAGIVS Rip.
Danus.

ARGVMENTVM ARTIS POETI-CAE AD PISONES.

Aturum se Pisonibus præcepta artis poëticæ, scribendorumq; carminum, profitetur Horatius. Fidem vt liberaret, præcepta XVIII. in hunc librũ condidit & congessit: singulisq; præceptis ordine suas attribuit confirmationes, amplificationes, exornationes. Præceptorum pars ad poëma referuntur, pars ad poëtam: ita tamen vt sine omni molestia, opera Dialecticæ inuentionis de coniugatis, quæ poëtæ præscribuntur poëmati tribuantur: & contra, quæ de poëmate sunt allata poëtæ promulgata reputẽtur. Qui cognoscere delectetur qualénam artificium Dialecticum & Rhetoricum in proponendis, confirmandis, amplificandis, exornandis præceptis sit adhibitum: ad finem cum patientia vt progrediatur necesse habet. Si cui satisfecero & placuero, magnum hoc ipso mihi beneficium est præstitum. Si displicuero vetus illud candido lectori perpendendum propono: Honesta sequentem in secundis aut tertijs consistere pulcrum est: quem etiã veniam audaciæ meæ haud grauatim daturum spero, quod non magnum damnum acceperit temporis, quod meis commentarijs perfunctoriè legendis perdidit.

Q. HORATII FLACCI, AD PISONES, ARS POETICA, AD P. R.

Dialecticam & Rhetoricam resoluta: studio ANDREAE KRAGII Ripensis Dani.

I. PRAECEPTVM.



Oëmatis partes non erũt ἑτερογενεῖς: sed ex membris accõmodatis & conuenientibus, omne poëma compositum esto.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas:
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa supernè.
Spectatum admißi risum teneatis amici?
Credite Pisones isti tabulæ fore librum
Persimilem: cuius, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species: vt nec pes nec caput vni
Reddantur formæ. pictoribus, atq; poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, & hanc veniam petimusq;, damusq; vicißim.
Sed non, & placidis coëant immitia: non, vt
Serpentes auibus geminentur: tigribus agni.
Incœptis grauibus plerunq;, & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, vnus & alter
Assuitur pannus. cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros:
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc, si fractis enatat expes
Nauibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit

Institui: currente rota cur vrceus exit?
Deniq; sit, quod vis, simplex duntaxat, & vnum.

RESOLVTIO DIALECTICA.

PRimum hoc præceptum tam difficile quam necessarium ut principium, medium, & finis orationis congruant, & consentiant, uarijs confirmatur argumentis.

Humano capiti) A' simili seu conuenientia inter Pictorem & poëtã. Syllogismus per partes declaratus sic habet:

Poësis & pictura inter se consentiunt:
At pictura conficta ex dissentaneis & heterogeneis: vtpote ex partibus animalium terrestrium, aëreorum, maritimorũ ab omnibus deridetur & reprehẽditur:
Ergò poësis partibus constans heterogeneis deridetur, & reprehenditur.

Propositio hoc loco non est à nostro legislatore expressè posita: facilè tamen ex his duobus uersibus: *Credite Pisones, &c.* *Pictoribus atq;, &c.* extrui, & elici potest: ac in sequentibus eã pressius expositã & apertius inueniemus.

Vt turpiter atrum, &c. spectatum admissi) Assumtionem probat ex adiũctis turpitudine, derisione, uanitate. Quod turpe sit natura dissentientia in unum chaös confusa esse. Quod ridiculum id sit nõ solum peregrinis & ignotis: uerum etiã amicis, honoris caussa à pictore ad spectandã hãc imaginẽ adhibitis: ut hîc sit amplificatio quædã à collatione maiorũ. Quod uana sit talis pictura ueluti ægri somnia, uarijs & noxijs rebus perturbata: sine omni discretione, leuiter solius φαντασίας uitio, conficta. *Pictoribus atq; poetis)* Contra syllogismum sequitur πρόληψις ex adiuncto poëtarum priuilegio & licentia: cũ permissione Rhetorica: cui adiungitur responsio cum correctione, ex argumentis dissentaneis petita. Prolepsis est.

Poetis & pictoribus quidlibet confingere, & adsuere ad sua opera licet:

Ergò ad illud præceptum Horatianum de homogenia,
non adſtringuntur

Reſponſio eſt. Fateor nõ inuitus magnã eſſe poëtis & pictoribus licentiã permiſſam: egoq; hãc mihi ipſe in ſcribendo arrogo. Nihilominus adhibendã eſſe hãc cautionẽ meminerint: argumẽta diſſentanea, & res natura, ſpecie, & adiũctis, pprijs diſſentiẽtes, & à ſe inuicẽ propemodũ abhorrẽtes neutiquã eſſe copulãdas: ut fera & mitia animalia: ſerpẽtes & aues: tigres & agnos. Peccat itaq; prolepſis antecedẽs in legẽ κατὰ παντὸς: cũ de conſentaneis & conſentiẽtibus uerũ: ad omnes res ſine diſcrimine detorqueatur. Id autem ex doctrina Dialectica de diſſentaneis non cõiungendis ſed diſiungendis, uerè deſumtũ eſt. *Incæptis grauibus)* Alia confirmatio de homogenia partium poëmatis, à doctrina ſubiectorum & propriorum adiunctorum.

Adiuncta propria ſubiectis proprijs, & loco opportuno
ſunt accommodanda:
Heterogenea proprium ſubiectum nullum habent:
Ergò neq; alicui ſunt accommodanda, & attribuenda.

Propoſitio ex doctrina dialectica ſubiecti & adiũcti eſt euocata. Poteſt etiã ex Horat. uerbis, *Quid hoc, &c.* elici.

Incæptis grauibus) Aſſumtionis uis eſt & cõfirmatio per inductionẽ aliquot ſpecialiũ heterogeneorũ. Cũ ſplendida & elegãs ueſtis adornatˀ, ridiculè ornatus cauſſa, particula una aut altera, etiã prçſtãtiſsimi panni purpurei aſſuitˀ: modo à materia ueſtis fuerit heterogenea. Pictore penicillo Dianæ arã aut lucũ exprimente, aut etiã, q eò pertingũt, aquæductus & riuos: ſiniſtrè & malè fluminis Rheni Galliam & Germaniã abluentis, aut arcus iridis pluuias deſignantis, forma adpingitur. In pictura hominis omni ſpe deiecti & naufragi, more ueterum, delineanda: in tabula pro naufragio cupreſſus non poteſt reponi. Sic dum

magnum uas & amphora paratur: si in operis progressu urceus & uas longè minus efficiatur, error committitur. Hæc enim sunt tali loco & tempore heterogenea ac à proposito aliena: nullumq́ propterea hîc locum habent.

Deniq; quod vis) Repetitur præceptũ cum exclamatione: debere poëma esse simplex, uniforme, partibus cõstare homogeneis: nec temerè in alias atq; alias res discurrendũ, nisi ex ijs unum idemq́ opus confici possit: eæq́ inter se aliquo argumentorum consentaneorum conueniant.

RESOLVTIO RHETORICA.

H*Vmano Capiti)* Frequentes Metaphoræ à pictura ad poëma referẽdæ, Allegoriã pariũt. *Spectatũ)* Cõmunicatio, uim negationis continens. *admißi amici)* Paronomasia. *Credite)* Apostrophe ad Pisones. *librum)* Metonymia subiecti, pro poëmate seu scripto quod in librũ inscribi potest. *nec nec)* Anaphora. *formæ)* Synecdoche partis. Forma cũ sit præstantior pars pro toto ponitur. *Pictoribus atq; poëtis)* Prolepsis cum prosopopœia. *Scimus)* Responsio cũ permissione: ut magis aduersarius pungatur. *petimusq́; damusq́;)* Similes soni cõtinui, sed in diuersis sententijs, faciunt anadiplosin. *non vt placidis coëant)* Metaphoræ sunt plures ab animatis ad inanimata, quæ Allegoriam faciunt. *non vt non vt)* Anaphora. *Incœptis grauibus)* Allegoria similis, ac in pręcedentibus, ad finem huius præcepti cõtinuata. *purpureus pannus)* pro quouis ornamento, Synecdoche Speciei. *Splendeat)* Similis Synecdoche pro ornet. *aut aut)* Anaphora. *pluuius arcus)* Metonymia subiecti: pluuias enim hic arcus indicat uenturas. *Et fortaſſe)* Apostrophe ad pictorem absentem *Simulare)* Synecdoche in qua ex genere intelligitur species, falsò pingere. Aut, si mauis, dicas hîc esse ἀκυρολογίαν & duriorem tropum.

tropum. *Quid hoc?)* Aposiopesis cũ interrogatione. Desideratur enim: Ad propositum seu naufragij picturã spectat. *fractis nauibus)* Synecdoche generis: Numerus pluralis pro singulari. *ære)* Metonymia caussæ. Materia pro effecto ponitur. *Pingitur)* Metonymia adiũcti: quod eius effigies & naufragium non substantia pingatur.

II. PRAECEPTVM.

Difficile esse recta à prauis: uitia à uirtutibus in scribendo secernere: poëta cognitum habeto.

Maxima pars vatum pater & iuuenes patre digni
Decipimur specie recti. breuis esse laboro:
Obscuro fio. sectantem læuia, nerui
Deficiunt, animiq; professus grandia: turget.
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam:
Delphinum siluis adpingit: fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus & vngues
Exprimet: & molles imitabitur ære capillos:
Infelix operis summa: quia ponere totum
Nesciet. hunc ego me si quid componere curem
Non magis esse velim, quam prauo viuere naso:
Spectandum nigris oculis: nigroq; capillo.

RESOLVTIO DIALECTICA.

Præceptum hoc secũdum, pro suo arbitratu quisq; interpretum exposuit. Dissentientes, partim iure, partim data opera, eorum sententias omittẽs, ego, ad difficultatem perpendendam in ueri & falsi, propter simílima adiuncta, discrimine, id adductum, persuasum habeo.

Difficultatem hãc tantam esse, ut potius eius expeditio optãda quã speranda sit, argumẽtis sequẽtib. obtinebitur.

Maxima pars) Ab exemplis confirmatio eſt.

Maxima pars vatum decipimur: & vt via eſt à virtute ad vitia procliuior, eò facile dilabimur:

Ergo difficile eſt virtutes à vitijs ſecernere.

Propoſitio quæ deſideratꝰ eſſe poterat. Illud difficile eſt factu, in quo multi decipiuntur. *Breuis)* Antecedens Enthymematis inductione ſpecialiũ exemplorũ illuſtratur & corroboratꝰ, unà cũ eorũ cauſsis impulſiuis. Qui loquacitatem effugere breuitate conatur: neceſſaria ſubtrahendo in obſcuritatis uitiũ pręcipitē ſe dat. Carmen facile, comtum, ſplendidũ ſcribere uolentem deficiũt nerui animiq́ꝫ, id eſt, maieſtas carminis, fitq́ꝫ pro facili molle, eneruatũ, ἀνακόλουθον, elũbatũ. Eloquentiã & elegãtiam ſiue etiã aliquã grandiloquentiã affectãs, fit inflatus, ſuperbus, faſtuoſus: & inſtar Aſiatici oratoris turgidus. Superbię uitiũ q euitare laborat, & tanquã nauta a maris ꝓcellis tutus eſſe: fit nimis humilis & ſordidus, & ad terram in ipſo littore impingit. Qui uarietate orationis delectare auditorem propoſitum habet, inepta quædam & ridicula ſæpe adponit: ut ſi delphinum in ſiluis, aprum in fluctibus paſci pingeret. *In vitium)* Cauſſam horum errorum efficientē ponit artis ignorantiam: qua qui ſunt præpediti quid agēdum & quid fugiendum ſit ignorant.

Aemilium circa) Amplificatur præceptum ab adiuncta turpitudine & deriſione, ſi uioletur: idq́ꝫ per duo ſimilia. I. Statuarius in ludo Aemilio, in unius partis cõformatione peritus, in uniuerſo opere perficiēdo infelix & ignarus, deridetur. *Hunc ego me)* II. Homo bellis oculis & pulcro capillo: ſed detorto & adunco naſo, deformis & turpis habetur. Præceptum ipſum conſequentis loco iterandum eſt. Poteſt etiam hîc eſſe collatio maiorum: ut poëta contra hoc præceptũ peccans ſit uerè reprehendendus & ui-

tuperan-

tuperandus: cum id ijs eueniat qui etiam magnam operis ſui partem inculpatam habeant.

RESOLVTIO RHETORICA.

MAxima pars) Apoſtrophe ad Piſones. *Vatum)* Synecdoche generis: pro poëtis. *Specie)* Synecdoche ſpeciei: ſimilitudo enim per uocabulũ ſpeciei intelligit̃. *recti)* Metaphora à reb. corporeis. *laboro)* Numerus ſingularis pro plurali, Synecdoche eſt ſpeciei. *obſcurus)* Metaphora. Sic in ſequẽtibus: Leuia Turget: Serpit humi: Timidus, ꝓcellæ, &c. quę Metaphorę frequẽtiores Allegoriã pariũt. *Qui variare)* Similis eſt Allegoria, ut prius. *vngues molles & capillos)* Vtrobiq; Metonymia ſubiecti: intelligit̃ enim unguiũ & capillorũ ſimilitudo & repreſentatio. *Infelix)* Synecdoche ſpeciei: pro ignorãtia aut inſcitia infelicitatis ſpecie. *ponere)* Synecdoche generis, ꝓ ſcribere ſeu pingere. *Hunc)* Metonymia, quod ex ſubiecto ſignificatur adiunctũ nẽpe ſimilitudo. *nigris nigroq;)* Polyptoton.

III. PRAECEPTVM.

POëta diu multumq; laborato, ut ſuas uires exploratas habeat: ſuoq; ſe pede metitor.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus: & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res:
Nec facundia deſeret hunc: nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor:
Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici:
Pleraq; differat, & præſens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis autor.
In verbis etiam tenuis, cautusq; ſerendis,
Dixeris egregiè: notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum. ſi fortè neceſſe eſt:
Indicijs monſtrare recentibus abdita rerum:

Fingere

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturq; licentia sumta pudenter.
Et noua, fictaq; nuper habebunt verba fidem: si
Græco fonte cadent, parcè detorta. quid autem
Cæcilio, plautoq; dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varioq;? ego cur acquirere pauca,
Si possum, inuideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit. licuit, semperq; licebit.
Signatum præsente nota producere nomen.
Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos:
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentq;.
Debemur morti nos, nostraq;: siue receptus
Terra Neptunus, classes aquilonibus arcet,
Regis opus: sterilisue diu palus, aptaq; remis
Vicinas vrbes alit, & graue sentit aratrum:
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius. mortalia facta peribunt:
Nedum sermonum stet honos, & gratia viuax.
Multa renascentur quæ iam cecidere: cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus:
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

RESOLVTIO DIALECTICA.

MOnet hoc præcepto Horatius, inter poëma & poëtam esse debere talem conuenientiam: ut eius onus poëta per suas uires ferre posit: nec in onere portando turpiter succumbat. hoc est, ne quid suscipiat scribendũ, quod cumulatè explere præ ingenij tenuitate nequeat. Confirmatio præcepti sumitur ex eius fine: quod eum, qui exploratis uiribus, non maiorem ingenio & doctrina rem tra-

ctandam sumserit, nec facundia seu elocutio, nec disposi-
tio deficient: sed tanquam proprij fines comitabuntur. Syl
logismus, quamuis desideretur propositio, esse potest:

Quod ad ordinem & elocutionem poëmatis facit, id poëtæ curæ esse debet:

Materiam suo ingenio & doctrinæ congruentem eligere, ibi multum iuuat:

Ergo id poëtæ curæ esse debet.

Propositio ut monui desideratur. *Cui lecta potēter)* Assumtio est. Cōplexio est præceptũ ipsum initio propositũ. *Ordinis hæc virtus)* Ad pręcepti amplificationẽ describitur primus eius finis, ordo, ex suis adiunctis.

Descriptio hæc cum Dialecticorũ unica methodo non pugnat. Iubetur enim à poëta nostro ut ea dicãtur quæ dicenda sunt: pleraq; in sibi præsens & propriũ tempus proferantur & producãtur. Quod certè nihil aliud est, quã noster Ramus præcipit: primo loco primum seu generalissimum, secundo secũdum, tertio tertium & sic deinceps pro naturæ suę claritate quidlibet ponendũ. Nihilò secius monet noster legislator sæpius ex ijs quæ dicenda forẽt, quædam aspernanda & reijcienda: aliaq; aliena à proposito nõ tamen omnino dissentanea, reponenda. Quod nihil aliud esse quã methodum Crypticã cum Dialecticis astruere satis patet: in qua cũ motu aliquo maiore aut delectatione, in parte aliqua fallendus est auditor, homogenea quędam sunt reijcienda: heterogenea assumẽda, uelut digressiones à re, & in re: & ordo rerum inuertetur initio: antecedẽtiaq; nonnulla cõsequentibus postponẽtur. Cautio tamen adhibenda est ne contra primũ pręceptũ peccatũ cõmittatur.

In verbis etiam) Amplificatur præceptũ per secundi finis, elocutionis, descriptionem. Describitur autẽ à poëta unica saltem eius pars, de uocabulorum innouatione: siue

ea componendo:ſiue noua uocabula faciẽdo,conſiat. Solam autem partem unicam elocutionis, materiã ſeu uocabulorum innouationẽ ſibi tradẽdam arbitratus eſt poëta: quod ab ea re latini plurimum abhorreant,propter adiunctum periculum: reliqua uerò in elocutione neceſſaria nõ adeò negligant. Vocabula hoc pacto effecta πεποιημένα et πεπλασμένα uulgò quare uocẽtur neminẽ fugere arbitror.

In verbis) Elocutionis partem per innouationem uocabulorum,amplificauit. Et quia hæc fit aut cõpoſitione,aut noua fabricatione,utrobiq; cautione opus eſſe demõſtrat. Hoc itaq; loco de uocabulorum per compoſitionem innouatione agens,requirit prudentiam & raritatem:ut & rarò & prudenter artificioſa adiunctio ſeu compoſitio ex uocabulo aliàs noto nouum uocabulum procreet.

Si fortè) In illa uocabulorũ innouatione quæ fit de nouo requirit neceſsitatem & pudorem: ut cum res occultæ & abditæ explicandæ ſint. Tum enim fas erit pudenter & cũ uerecũdia noua fingere. Imprimis tamẽ hoc permiſſum eſto,ſi, ex Græcis fontibus deducta,latinè uſurpentur.

Huius generis uocabula plurima latinis in uſu eſſe notius eſt,quam ut confirmatione egeat. Ipſa artium uocabula, nominibus græcis latinè uſurpata,pro latinis retinẽtur: idq;,doctorum calculo,abſq; omni barbarie.

Quid autem) Ad prolepſin quæ contra præcedentia adferri poterat, reſpondet poëta: docetq; uarijs argumentis hanc licentiam innouandi uocabula non eſſe à poëtis prohibitam. Prolepſis ex remotione cauſſarum hoc pacto ſumi poteſt.

Commoda quidem eſt tua licentia de innouatione uocabulorum,ô legislator: ſed caret fundamẽto: cum nondum vel probabili ſaltem cauſſa & ratione aſſecutus ſis,hanc poëtis permiſſam:

Ergo

Ergo tibi non est credendum.

Respondet poëta licere: semperq; permissum iri hanc licentiam poëtæ.

Quid autem) Prima responsionis ratio ab exemplis.

Licuit Cœlio, Plauto, Ennio, Catoni noua confingere vocabula:

Ergo idem Virgilio, Horatio, alijsq; poëtis doctis non potest iure adimi:

Propositionem seu rationem cõclusionis non additam ab autore, nec ego sollicitè quæram. Ea facili labore ex doctrina dialectica desumi potest: aut fortassis est perspicua ex uita quotidiana: quod approbata re in exemplo, nõ uariatis circumstantijs, approbetur res generaliter.

Ego cur) Similis & sequens est cõfirmatio ab exemplis hoc modo sumta.

Catoni & Ennio amplificãtibus linguam paternam non est inuisum:

Ergo neque nobis, nisi iniuriâ per inuidiam, hoc detrahitur.

Est etiam hîc argumentatio à comparatione maiorum: quod liceat Horatio eiusq; coætaneis acquirere pauca uocabula: cum Ennio Catoni ad abundantiam & diuitias id permissum fuerit.

Vt Siluæ) Secunda responsionis ratio à simili.

Vt foliorum sic verborum ratio habet:

Atqui foliorum alijs cadentibus, & euanescentibus, alia renascuntur:

Ergò idem verbis euenit: & obsoletis euanescentibus & spretis, noua vsu præsente comprobata (sic enim, signatum præsente nota, intelligo) sunt cudenda.

Vt siluæ) Propositio est, sua perfecta similitudine cõstãs. *Prima cadunt)* Assumtio est. *Ita verborum)* Complexio

est. Sic hæ syllogismi partes intricatè inter se in ipsa similitudine commiscentur. *Debemur morti)* Tertia ratio est à maiorum collatione.

Hominibus omnibus eorumq́; factis finis est præfinitus: quo adproperãte illis est intereundũ, reliquis succedẽtibus:
Ergò nedum idem fatum erit vocabulis: vt nouis quæ effingenda sunt cedere cogantur.

Siue receptus) Robur antecedenti adponitur ex doctrina distributionis: per enumerationem aliquot factorũ specialium. Mare uastum etiam principũ diligentia sedatũ, ut portum, nauibus cõmodum, inclusum faciat: id perpetuo nec reseruabit, nec ab initio obtinuit: sed mutationem sentiet & sentit. Fluuij quem olim abluebant locum, aut occupabãt, arte deserere sunt coacti: nec tamen id sunt perpetuò facturi. *Multa renascentur)* Quia non sine periculo uocabula fingũtur, quod prius etiam fecit, ad usum seu consuetudinem purè loquẽtium totum in hac re iudicium defert. Postea usum cõmendat, quod sit caussa efficiens huius negotij principalis summaqúe: solus regnum obtineat in quo regno, de elocutionis statu & salute conuentus agitentur.

RESOLVTIO RHETORICA.

S*Vmite materiam)* Allegoria perpetuis constans Metaphoris, sumta à baiulis. *Quid Quid)* Anaphora. *nec nec)* Anaphora. *Lucidus ordo)* Metaphora à rebus lucidis corporeis, ad ordinem. *virtus)* Metaphora ab hominibus. Est etiã hîc Synecdoche speciei pro omni ornamento. *Venus)* Metonymia caussæ efficientis: cum Venus mater & caussa decori & uenustatis existimetur. *Iam nunc)* Bis positũ, in principio & medio Epanodos. *Dici Dicat)* Polyptoton. *Præsens)* pro opportuno tempore, Synecdo

che

che ſpeciei. *Hoc Hoc)* Anaphora. *amet Spernat)* Amare pro ꝓpoſito iam accõmodare: Spernere, pro in aliud tempus differre Metonymia ſubiecti eſt. *Serendis)* Metaphora ab agricolis ſementẽ facientibus, ut noua accreſcat fruges. *tenuis)* Metaphora à rebus quantitate præditis. *Si Si)* Anaphora. *abdita)* Allegoria propter frequẽtes Metaphoras. *indicijs monſtrare)* Vocabula enim ſunt rerum σύμβολα καὶ σημεῖα notæ & indicia. *cinctutis)* id eſt, cinctis pro hominibus zona cinctis ad faciendum bellum paratis & expeditis: Metonymia adiuncti eſt. *Cethegis)* pro omnibus ueteribus Romanis, Synecdoche ſpeciei eſt. *fonte)* Metaphora. *detorta)* ἀκυρολογία propter duriorem Metaphorã. *Ego)* Synecdoche ſpeciei: omnis enim poëta intelligitur. *Patrium)* id eſt, paternũ ſermonẽ: Metonymia ſubiecti. *ditauerit)* Metaphora ab ijs qui pecuniæ faciendæ ſtudent. *Licebit, Licuit)* Polyptoton. *Signatum)* Allegoria à monetarijs. *Vt ſiluas)* Allegoria in tribus ſequentibus uerſib. à folijs ad uerba. *nos noſtraq́;)* Paronomaſia. *Neptunus)* Metonymia efficientis cauſſæ: Neptunus pro mari. *Claſſes Aquilonibus arcet)* Hypallage: aquilones claſſibus arcet. Aquilonib. pro quouis uento, Synecdoche eſt eſt ſpeciei. *palus alat)* id eſt, frumentũ in palude exſiccata creſcẽs: Metonymia ſubiecti eſt. *ſentit)* Metaphora ab animatis. Quales ſunt in ſequentib. Mutauit curſum: Doctus iter melius: Honos ſermonũ: gratia uiuax: renaſcentur, &c. *cecidere cadentq́;)* Polyptoton. *Quæ quem)* Polyptoton. *quæ q́;)* Paronomaſia. *Vſus)* Metonymia ſubiecti. Accipitur enim uſus pro hominibus purè loquentibus. Eſtq́; nihil aliud uſus quam certa loquendi ratio.

IIII. PRAECEPTVM.

CArmen cum sibi subiecta materia, suoq; subiecto conueniens & homogeneum esto.

Res gestæ, regumq; ducumq; & tristia bella:
Quo scribi possent numero monstrauit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum:
Pòst etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit autor:
Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit Iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

RESOLVTIO DIALECTICA.

PRæceptum hoc de conuenientia carminis cũ suo subiecto, per inductionem quatuor specierum carminis, cum sua subiecta materia congruentium, confirmatur. Syllogismi conclusio est.

Carmen Epicum, Elegiacum, Iambicũ, Lyricum habet suum subiectum circa quod versatur:
Ergo etiam in genere carmen ad proprium subiectum accommodabitur.

Antecedẽs per specialiũ explicationẽ cõfirmatur, & per eorundem caussas efficientes & adiuncta amplificatur.

Res gestæ) 1. Regũ & principũ facta carmine describuntur Epico seu Heroico: cuius Homerus perhibetur esse inuentor aut certè in eo scribendo princeps.

Versibus impariter) 2. Olim res lugubres nunc etiam læ-

tiores

tiores carmine Elegiaco continebantur. Quis autem ſalutetur primus huius generis inuentor, uariæ ſunt Grãmaticorũ & diſſentientes diſceſsiones ac ſuffragia. *Archilochũ*) 3. Res conuitiatoriæ, maledicæ, tragicæ, & comicæ carmine Iambico deſcribuntur. Hoc enim genus carminis ſermonibus alternatim habitis, colloquijsq́ mutuis, ac rerũ actioni exponendę aptum eſt: tantaq́ effecta habet, ut etiã populi ſtrepitũ ſuperet ſedetq́: & ad ſe audiendũ compellat. Huius autorem ſtatuit, ſed multis renuentibus, Archilochũ. Ego qui Rameas artes hîc interpretor, de ijs mihi iudicium non ſumo. *Muſa dedit fidibus*) 4. Res lætæ, ut encomia, hymni, amores, conuiuia, carmine lyrico deſcribuntur. Huius inuentionem dijs acceptam refert.

RESOLVTIO RHETORICA.

T*riſtia bella*) Metonymia effecti: adferunt enim bella multa triſtia. *monſtrauit*) id eſt, docuit: Synecdoche ſpeciei. *Querimonia*) Metonymia adiuncti: intelliguntur enim res querela dignę. *incluſa*) Metaphora. *voti compos ſententia*) Synecdoche ſpeciei: intelligitur enim omnis res læta. *exiguos elegos*) Ex adiunctis intelligitur ſubiectũ, materia triſtis. Eſt etiã Metonymia effecti: cum materia dicatur triſtis & exigua, quod homines puſillanimos & exiguos reddat. *rabies*) Metaphora à canibus. *Iambo*) pro Iambico carmine: Synecdoche partis. *Socci*) Metonymia adiuncti. Socci enim accipiũtur pro Comœdijs in quibus ſoccis erant actores induti. Sic cothurni pro Tragœdijs. *pedem*) Synecdoche partis: ut Iãbus pro Iambico carmine. *& &*) Anaphora. *natum*) Metaphora. *fidibus*) pro lyra: Synecdoche partis. Sed quia lyra ponitur pro eo quod in lyra canitur, eſt Metonymia adiuncti. *pueros deorum*) Metaphora: quod enim Heroës magnalia facta demonſtrabant,

bant, uisi sunt deorum filij, & dij. *equum)* id est, equitem: Metonymia subiecti. *Iuuenum curas)* Ex genere significatur species, amores, per Synecdochen generis. *Libera vina)* Metonymia effecti: Vina enim liberalius pota, homines liberos ad quiduis agendum & loquendum reddunt. Quia uerò uinũ pro conuiuio ponitur, fit Metonymia adiuncti. *&)* Quater in initio uariarum sententiarum iteratum, Anaphoram indicat.

V. PRAECEPTVM.

DEcorum, & τὸ πρέπον in carmine seruator.

Descriptas seruare vices, operumq́; colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroq́;, poëta salutor?
Cur nescire pudens prauè quàm discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item priuatis, ac propè socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæq́; locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit:
Iratusq́; Chremes tumido delitigat ore.
Et tragicus plerunq́; dolet sermone pedestri.
Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul vterq́;,
Proÿcit ampullas, & sesquipedalia verba:
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulcra esse poemata: dulcia sunto:
Et quocunq́; volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident: ita flentibus assunt
Humani vultus. si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu. malè si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. tristia mæstum
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu.

Format

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram:
Aut ad humum mærore graui deducit, & angit:
Pòst effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta:
Romani tollent equites, peditesq́ cachinnum.
Intererit multum Dauusne loquatur an Herus:
Maturúsne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercatórne vagus, cultórne virentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor. Honoratum si fortè reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq́: flebilis Ino:
Perfidus Ixion: Io vaga: tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare nouam: seruetur ad imum
Qualis ab incœpto processerit: & sibi constet,

RESOLVTIO DIALECTICA.

DEscriptas) Confirmatur præceptum à negato hoc adiuncto, proprio decoro, ad negationē subiecti. Oportet poëtam necessariò decorū seruare: aliàs ei nomē poëtæ iure adimitur. *Cur nescire)* Amplificatur confirmatio ab adiuncta turpitudine & stultitia. Quod pudor uitiosus & turpis sit, potius per caussam pudoris aliquid nescire, quàm pudore seposito liberè inscitiam profiteri: eaqúe quæ ignorantur addiscere. *Versibus exponi)* Generalis hæc fuit confirmatio, seruandum esse decorum poëtæ, ex doctrina subiecti & adiuncti extructa: quæ nunc sequun-

tur ab argumento ſpeciei & generis petuntur. Specialia enim ſequuntur argumenta, quibus coniunctis aut ſeorſim poſitis, præceptum corroboratur.

Primum Speciale pro decoro argumentum eſt ex decoro pronunciationis & elocutionis.

In elocutione & pronunciatione eſt ſeruandũ decorum:
Præceptũ igitur docens ſeruandũ decorum eſt firmum.

Antecedens prolixè rationibus hiſce inſequentibus tanquam fulcris ſtabilitur.

Verſibus exponi) A` diſſentanea elocutione & pronunciatione Tragœdiæ & Comœdię. Comœdia & Tragœdia nec debent nec poſſunt eodẽ ornatu & uoce pronunciari. Sed quemadmodum tragœdia, qualis eſt fabula de cœna Thyeſtis non debet placidis uerbis exponi: ſic neq; comœdia acerbis & altiſonis. *Singulis)* Concluſio eſt huius rationis cum præcepto conueniens. Quod ſingula ſuum locum & tempus poſtulent & poſsideant. *Interdum)* Correctio eſt præcedentis præcepti: licère tamen, rebus ſic poſtulãtibus, ut comœdia aliquid ſpiret tragicum: & contra.

Amplificatur autem permiſsio, & cõfirmatur exemplo Chremetis & alterius perſonæ in Tragœdia.

Chremes Terentianus cum fratre Clitiphone ſæpius tragico more delitigat & acerbius in fratrem inuehit: ac etiam ſæpius perſona tragica mitius loquitur:
Ergo de præcepti ſeueritate in elocutione & pronunciatione aliquid remittitur.

Telephus & peleus) Alio pacto confirmatur decorum in elocutione & pronũciatione ab effectis: q̃ poëmate mouẽdus ſit ſpectator & auditor: idq; per exẽpla Telephi & Pelei illuſtratur: quibus exulibus neceſſe erat uerba magnifica & regalia quibus reges uti ſoliti erant, proĳcere & deponere: ut ſua querela ad miſericordiam erga ſe exercendam

alios

alios commouerent. *Non ſatis eſt pulcra)* Secundũ ſpeciale argumẽtum pro decoro ſeruãdo, eſt à decoro in affectibus ſumtum. Quod nõ ſit ſatis ut decorũ in elocutione & pronũciatione ſeruetur poëmaq́ doctum ſit: niſi etiam ſit patheticum, ſuaue, gratum: & ita adcõmodatum, ut auditoris animum hûc illûc deducat: quod ſequentibus argumentis confirmatur.

Vt ridentibus) Ab adiuncto humanorum affectuum.

Humani affectus ſimilibus viſis commouentur:

Ergo ſimiles erunt in oratione affectus, quales in animis excitari cupimus: decorumq́ eſt ſeruandum.

Vt ridentibus) Antecedẽtis uis eſt: ſpecialiũ affectuũ recitatione amplificata. *Si vis me)* Conſequẽs eſt, quamuis prius poſitũ clarè ſatis patet. *Telephe vel Peleu)* Alia huius præcepti confirmatio ſeu illuſtratio ex factis Pelei & Telephi contrarijs: eorumq́ contrarijs adiunctis.

Telephus & Peleus in Tragœdijs nullam affectuum rationem habentes, aut ſomnum conciliant auditoribus, aut ſeipſos deridendos propinant:

Ergo cauẽdo ne id vſuueniat, affectuũ decorũ ſeruãdũ eſt.

Triſtia mœſtum) Amplificatur præceptũ enumeratione quorundã affectuũ: unà cum ſibi congruentibus rebus, & cauſſa eorũ efficiente principali & ſubiecto, anima humana: quæ à natura ad omnia formanda affectuũ genera eaq́ ſuſcipiẽda eſt formata & adcõmodata: lingua nũciâ & interprete. *Si dicentis)* Repetitur cõfirmatio à contrarijs effectis eorumq́ adiunctis, & deriſione poëtæ parta neglectis affectibus: eaq́ per diſtributionem P. R. in equites & pedites exornatur. *Intererit multum)* Tertiũ ſpeciale argumentum de decoro, in cuiuſque perſonæ proprietate & conditione, ſeruando, ſumitur à diuiſione perſonarum per uaria adiuncta: & ſubiecta.

Intereſt multum perſonarum vitæ genus perſpectum habere & dignitatem: vt ſit ne perſona ſeruus an herus: matrona an ancilla: nobilis, an ruſticus, an ciuis.

Intereſt multum perſonarum ætatem cognoſcere: vt ſit ne ſenex an iuuenis.

Intereſt multum perſonarum patriã nationemq́ʒ dignoſcere: vt ſit ne inhoſpitalis Colchus, an Aſſyrius aſtutus & callidus: Argiuus audax, felix, an Thebanus infelix, imperitus, timidus.

Ergo decorum perſonarum eſt ſeruãdum: & cuilibet ſua tribuenda ſunt.

Aut famam ſequere) Amplificatur amplius confirmatio, per diſtributionẽ in alia quædam adiuncta à tempore ſumta: ꝙ ſit uel uetus uel noua: & quod in utraqʒ ſeruandum ſic ſuum decorum. *Honoratum ſi)* In perſona uſitata ſeruandũ eſſe decorum exẽplis demonſtrat. Si Achilles in poëma introducat̃, debet eſſe impiger, iracũdus: quiqʒ nullis ſe legibus aſtringi patiat̃: quin omnia ſperet ſe fortitudine & armis poſſe acquirere & patrare. *Sit Medea)* Medea erit, in poëma introducta, ferox, inuicta, qualis ab alijs eſt uſurpata. *flebilis Ino)* Ino erit flebilis & triſtis. Ixion aſtutus, callidus, pfidus, &c. *Si quid inexpertũ)* In fingẽdis nouis perſonis ſeruandũ eſſe decorũ demõſtrat ex adiunctis.

Perſona nuper ficta non debet eſſe ſui diſsimilis: ſed talis ad extremũ ſeruetur qualis ab initio producta erat:
Ergo perſonarum decorum ſeruandum eſt.

RESOLVTIO RHETORICA.

C*Olores)* Metaphora à pictoribus ad poëtas. Eſtqʒ interrogationis addubitatio, quòd poeta ſecum deliberet. *Cur cur)* Anaphora. *ſalutor)* Synecdoche ſpeciei: pro uocor. *res comica: verſibus tragicis)* Metonymia adiuncti:

adiuncti:res comica dicitur placida & tranquilla qualis comicis erat usitata. Sic uersus Tragici, id est, tragœdiæ scriptoribus usitati. *Indignatur)* Metaphora ab hominibus. *socco)* Ex adiuncto comœdiarũ socco intelligitur, per Metonymiã adiuncti, Comœdia. *cœna Thyestæ)* id est, materia tragica qualis est ea de cœna Thyestę: Synecdoche speciei. *comœdia tollit)* Metonymia subiecti: pro persona in comœdia. *pedestri)* Metaphora à tenuis fortunæ hominibus. *ampullas)* Metaphora à uasis uitreis more bullarũ inflatis & tumẽtibus. *Sesquipedalia)* Metaphora à rebus quibus quãtitates mẽsurantur. *tetigisse)* Synecdoche speciei, pro mouisse. Est etiã Metaphora, quod querelâ dicatur alicuius cor motum, à rebus animatis ad inanimatas. *dulcia)* Metaphora à saporibus. *Sunto agunto)* Epistrophe. *ridentibus arrident)* Paranomasia. *flere flentibus)* Polyptoton, utroque à fleo deducto. *Si vis)* Apostrophe ad poëtam aut ad Pisones. Ponitur etiam numerus singularis, TV, pro quouis poëta per Synecdochen speciei. *infortunia)* id est, dolores quos ex aduersa fortuna conceperas: Metonymia caussæ efficientis. *lædent)* id est, mouebunt, Synecdoche speciei. *Telephe & Peleu)* Apostrophe nõ ad hasce personas sed ad eos qui in scena horũ personas repræsentant: ut subsit Metonymia subiecti. *aut dormitabo aut ridebo)* Synecdoche speciei: dormitabo pro tædio afficiar: ridebo pro quouis pacto contemnam & deridebo. *aut aut)* Anaphora. *Tristia Seria)* Similes soni in principio & fine Epanalepsin constituunt. *nos)* intelligitur noster animus: Synecdoche integri. *deducit ad humũ: effert animi motus)* Metaphora à corporeis quæ aut efferuntur aut ad terrã deprimuntur. *Fortunis Fortunarum)* Polyptoton. *absona)* incõuenientia: Synecdoche speciei. *fortunis)* pro omnibus eius adiũctis similis speciei Synec-

doche. *Equites peditesq́;)* Propter similes cõtinuos sonos in eadem sententia, Epizeuxis. *tollent cachinnum)* Similis Synecdoche speciei: pro quouis modo cõtemnendi & deridẽdi. *Maturus)* Metaphora à frugibus. *an)* Sæpius repetitũ, est Anaphora. *feruidus florente iuuenta)* Periphrasis iuuenis per Metonymiã caussæ, feruorem. *Iura sibi nata)* Metaphora ab animatis quæ nascuntur.

VI. PRAECEPTVM.

Difficilius esse materiã publicam, cõmunem, omnibus æq; liberam, sed tamen nondũ tractatam sibi tanquã propriam diligentia uendicare: quam ab alijs tractatam imitari, scripturus carmen perpendito.

Difficile est propriè communia dicere: tuq́;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus:
Quam si proferres ignota, indictaq́; primus.
Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa vilem, patulumq́; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec desilies imitator in arctum:
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex:
Nec sic incipies, vt scriptor cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes: nascetur ridiculus mus.
Quantò rectiùs hic qui nil molitur ineptè?
Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, vt speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamq́; & cum Cyclope Charybdin.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri:

Nec

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat: & in medias res
Non secus, ac notas, auditorem rapit: &, quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atq; ita mentitur: sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

RESOLVTIO DIALECTICA.

DE huius præcepti sentētia tanquam pro aris & focis strenue inter se pugnāt, omnes ad unum interpretes: occasione ex uerbis, *Publica & priuata,* sumta. Ego eorum controuersia posthabita quid mihi uideatur legislator noster agere (sine eorum tamen contumelia) libertate philosophica dicā. Docturus Horatius poëtā longè fese facilius inuēta expolire q; abstrusa & occulta è tenebris eruere & forma cōdecorare: ueritus est ne omniū animos ab excogitandis nouis deterreret & propelleret: suis itaq; uerbis aliquā adijcit mitigationē seq; in hac uia noua eruenda ducem præbet. Hæc mea interpretatio in qua cōmune & publicū pro eodē acceptū uolo, quam uere cum autoris mente, quamuis ab alijs interpretibus dissentiat, congruat, sequētia demonstratura spero. *Difficile est)* Probatio huius præcepti sumitur ab exemplo speciali. Facilius est Troianum bellum ab Homero descriptū in actus commutare: quam de nouo id fecisse. *Publica materies)* Correctio est præcepti amplificata quibusdā adiunctis & cautionib. quibus obseruatis, pro difficili, facile fit preceptum.

Si non circa vilem) 1. cautio: ne poëta ex publica & communi materia, propriam priuatamq; facturus, nimius sit in rebus læuioribus ac uilioribus: sed sententias persequatur aut aspergat, non de medio aut triuio, nec ex materia publica, uerum de philosophorum fontibus depromtas.

Nec verbum verbo) 11. Non retinebit quodlibet uerbũ uulgò notum: nec eandẽ in materia tractanda methodum: ne magis uideatur interpretem quàm poëtam agere, cui quiduis audendi licentia prius facta est.

Nec desilies) 111. Non temerè se in quãuis digrediendi occasionem conijciet, ne pręcipitetur & ad propositum redire præ pudore aut lege operis seu argumento ipso nequeat. Quod si stulta quadã confidentia fecerit: simia aut ridiculus imitator uerius quàm poëta appellari meruit.

Nec sis incipies) 1111. Cũ fastu nõ faciet dicendi initiũ. Huius probatio cautionis petitur à dissimili exemplo poëtæ alicuius cyclici ciuitates circũeuntis ac carmina sua recitantis. Nam Antimachum hîc intelligi prohibet Ciceronis in Claris oratoribus de eo commendatio.

Scriptor Cyclicus fastuosè in poëmatis exordio pollicens se scripturum de bello Troiano, fortunisq; Priami, se alijs ridendum obtulit:

Ergo exordia erunt humilia & sine fastu.

Quid dignum) Antecedentis probatio est, quod in ipso progressu non est præstitum aliquid dignum tanto hiatu, promissis, & iactatione.

Parturient) Amplificatur probatio quod scriptor ille sit factus exemplum prouerbij: *Parturient montes, &c.*

Quantò rectiùs) Alia probatio ab exemplo Homeri.

Qui fulgorem ex fumo dat, non fumum ex fulgore: & à minoribus initium faciens ad maiora progreditur rectè facit nihilq; ineptè molitur.

Homerus talis est initio Carminis de Vlysse:

Ergo rectè facit: & per consequens exordia ad eius probatum exemplum erunt sine fastu humilia.

Quantò rectiùs) Propositio est, amplificata tribus carminibus: *Non fumum ex fulgore, &c.*

Dic mihi Musa) Aſſumtio eſt. Exordiũ enim humile eſt, quod Odyſſea deſcrip turus initiũ ſumat ab Vlyſsis erroribus & nauigatione: interea tamẽ narrationibus longè elegantioribus aſperſis de Antiphate Lieſtrygonum rege ἀνθρωποφάγῳ, Scylla, Charybde, Cyclope, &c.

Nec reditum Diomedis) v. cautio eſt. Non debet exordiũ eſſe nimis longè petitum: cuius ratio ſumitur ab exemplo Homeri.

Homerus decantaturus bellum Troianum non nimis longè à natiuitate Helenæ & pollucis ex ouo exordiũ petit: ſed ab ira Achillis:

Ergo ad eius exemplũ exordia non erũt procul repetita.

Semper ad euentum) VI. Cautio eſt de narratione. Narratio debèt eſſe breuis ut ad finẽ perueniatur. Debet eſſe elegans, ijs demtis, quæ nullum orhatũ & nitorẽ admittunt. Debet eſſe ſibi conſimilis & cõſentanea ab initio, per medium, ad finem: ſiue ueris ſiue uериſimilibus rebus conſtet.

RESOLVTIO RHETORICA.

T*Vq;)* Apoſtrophe cum Synecdoche ſpeciei, id eſt, quis quis es carmen cõpoſiturus. *deducis)* Metaphora à corporeis. *Orbẽ)* Allegoria ab ijs qui in curriculo uel ſpira continuò currebant: unde diſcedere non integrũ fuit. *Verbum verbo)* Polyptoton. *nec nec)* Anaphora. *imitator in arctum)* Allegoria ab eodẽ curſus genere: nõ eſſe temerè in digreſsiones incumbẽdum: ut nec temerè curſori in arctum locũ metæ diſcurrendũ eſt, unde uix aut ne uix quidẽ ſe expediuerit. *Fortunam)* Proſopopeia. *Quid dignum)* Addubitatio. Eſt etiã Metaphora ab ijs qui magno ſpiritu & anhelitu in rebus magnis utuntur: Aut etiã à fabula de monte, qui parturiens hiſcere dictus eſt. *Parturient)* Allegoria ab animantibus: una cum Hyperbole: cuius occaſionem dedit fabula Aeſopi de ruſticis ridiculè montem par-

turire & grauidum esse, persuasum habentibus. *Dic mihi)* Prosopopœia Homeri. *fumum)* Metaphora à rebus combustis: in quibus post fulgorem fumus remanet. *fumum fumo)* Polyptoton. *miracula)* θαύματα: Synecdoche speciei pro qualibet præstanti re, admiratione digna. *Nec Nec)* Anaphora. *à gemino ouo)* pro natiuitate Helenę & Pollucis ab ouo progenitorum Metonymia caussæ materialis. Placet interpretibus hic poni Hypallagen quod ab uno ouo Helena & pollux duo progeniti sint. *rapit)* Metaphora. *nitescere)* Metaphora à ferro rubigine obducto, quod tractatum & usurpatum splendescit & nitorem recuperat. *Primo)* Climax seu gradatio: unâ cum Polyptoto.

VII. PRAECEPTVM.

POëta τὸ πρέπον seu quid singulis ætatibus decorũ sit & conueniat, exputato: & exputatum in carmine obseruato.

Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi.
Si plauseris eges aulæa manentis, & usq;
Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores:
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam scit puer: & pede certo
Signat humum: gestit paribus colludere: & iram
Colligit, ac ponit temerè: & mutatur in horas.
Imberbis Iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.
Conuersis studijs, ætas, animusq; virilis

Quærit

Quærit opes, & amicitias: inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda: vel quòd
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti:
Vel quòd res omnes timidè, gelideq; ministrat:
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: censor: castigatorq; minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt: ne fortè seniles
Mandentur iuueni partes, pueroq; viriles.
Semper in adiunctis æuoq; morabimur aptis.

RESOLVTIO DIALECTICA.

S*I plausoris)* Ratio huius præcepti de seruãdo & uariando, pro ratione ætatum, in personis decoro, est sumta ab effecto spectatorum id postulantium: & adiuncto poëtis desiderio, ut spectatores ad finem fabulæ præsentes maneant. Quia uerò nullum carminis genus Romanis notius erat drammatico: uisum est per illud hoc præceptũ aliâs omnibus commune exponere.

Spectatores fabularum postulant & exigunt seruandum decorum & mutandum, pro ætatis ratione, in personis:
Ergo id præstari necesse est.
Poëtæ præpositũ est retinere spectatores ad finem fabulæ:
Ergo decorum personarum seruandum est.

Ratio cõclusionis in hoc Enthymemate potest sumi ex priori argumentatione seu primo, in hoc præcepto, carmine: quod spectatores qui retinendi sint à poëta id desiderent: eisq; hoc facto nihil gratius. Sunt nihilominus hîc duo syllogismi diuersi: quorum consequentiæ ratio ex sequentibus firmius robur petet.

Reddere qui voces) Amplificatur, aut si mauis confirmatur præceptũ per locum distributionis: quatuor pręcipuis, & in fabulis usitatis ætatũ speciebus, cum suis adiunctis, recensitis.

I. Aetas adolescẽtia hic describitur à suis adiunctis, lusu, inconstantia, iracundia.

Imberbis iuuenis) II. Aetas Iuuenilis describitur suis adiunctis: ut sunt, uoluptas: studiũ uenandi, canes & equos alendi: ludorũ & spectaculorũ exercitium: procliuitas ad corruptionẽ uitæ & morum: impatientia admonitionum: rerum necessariarum non curãtia: prodigalitas: Superbia: Cupiditas, ἀψικορία seu εὐμεταβολία.

Conuersis studijs) III. Aetas est uirilis: cuius adiuncta sunt, prioribus ferè contraria, diligentia in conquirẽdis diuitijs, facienda pecunia, conciliandis sibi amicis, & acquirendo honores: prudentia, ne quid admittat quod olim cũ dedecore & pœnitentia est retractandum & dolendum, & in quo dicendum non putâram.

Multa senẽ) IIII. ultimæ ætatis, senilis, adiũcta sunt: quę tamen laudem non merentur, parsimonia rerũ cum labore acquisitarũ, timiditas, tarditas, procrastinatio seu perendinatio: spes perpetua semel de re aliqua percepta, aut longinqua sperans, cum tamen breue uitæ spatium ei sit reliquum: inertia: cupiditas & amor futurorũ, & imprimis longæuæ uitæ: etenim senes imprimis sunt φιλόζωοι: querimoniæ: pręteritorum odiosa cõmemoratio: pręsentium uana repręhensio & castigatio. Ex hisce adiunctis ętatum in abstracto expositis facile uidere est, quid quamlibet ætatem deceat: quidúe dedeceat. *Multa)* Repetitio est præcepti, ætatum adiuncta mutabilitate, exornata: cui etiam tribuendum magna ex parte est quod alia aliam ætatem adiuncta deceant & exornent.

RESO-

RESOLVTIO RHETORICA.

TV) Apoſtrophe ad Piſonē ſeu ad poëtam quemcunq; *plauſoris)* Metonymia adiuncti pro ſpectatore. *eges)* id eſt, cupis, Synecdoche ſpeciei. *aulæa)* Metonymia adiuncti pro fine. Nam fine fabulæ impoſito aulæa deponebantur. *vos plaudite)* Proſopopeia mimi ſeu actoris. *Annis)* Metonymia adiuncti: ſignificantur enim homines per annos mobiles: quod annis progredientibus homines mutentur. *Signat humum)* id eſt, ueſtigia in terram imprimit: pro incedere Metonymia adiuncti. *colligit ac ponit)* Metaphora à rebus corporeis. *Horas)* Synecdoche ſpeciei ꝑ quouis tēpore. *gramine Aprici Cāpi)* Metonymia ſubiecti, pro ludis qui in Aprico & aperto cāpo inſtituuntur & peraguntur. *Cereus)* Allegoria à Cera. *aſper)* Metaphora à corporeis. *æris)* æs pro pecunia Metonymia cauſſæ materialis. *Circūueniunt)* Metaphora à re militari. *vel quod vel quod)* Anaphora. *gelidè)* Metaphora à rebus corporeis ad actiones. *Spe longus)* Metonymia ſubiecti, id eſt, ſpem cōceptam tardè deponens: ut etiam tardè concepta eſt. *Multa Multa)* Anaphora.

VIII. PRAECEPTVM.

POëmatis drammatici cognitio, poëtæ ſeriò curæ & cordi eſto.

Aut agitur res in ſcenis: aut acta refertur.
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam: multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreus:

Aut in auem Progne uertatur: Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neue minor quinto neu sit productior actu
Fabula: quæ posci vult & spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit. Nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis faueatque, & concilietur amicè:
Et regat iratos: & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensæ breuis: ille salubrem
Iustitiam, legesque, & apertis otia portis:
Ille tegat commissa: deosque precetur, & oret:
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, vt nunc, orichalco iuncta, tubæque
Aemula: sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare, & adesse choris erat vtilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.
Quò sanè populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, castusque, verecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor: & vrbem
Latior amplecti murus: vinoque diurno
Placari Genius festis impunè diebus:
Accessit numerisque, modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus vrbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque, & luxuriam addidit arti
Tibicen: traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces creuêre seueris:
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps:
Vtiliumque sagax rerum, & diuina futuri

Sortilegis

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit: eò quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; sacris, & potus, & exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniet satyros: ita vertere seria ludo:
Ne, quicunq; Deus, quicunq; adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut, dum vitat humum, nubes, & inania captet.
Effutire leues indigna Tragœdia versus:
Vt festis matrona moueri iussa diebus,
Intererit satyris paullum pudibunda proteruis.
Non ego inornata & dominantia nomina solùm,
Verbaq;, Pisones, satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil intersit Daúsne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Sinone talentum:
An custos, famulusq; dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis
Speret idem: sudet multum, frustraq; laboret
Ausus idem: tantum series, iuncturaq; pollet:
Tantum de medio sumtis accedet honoris.
Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni:
Ne, velut innati triuijs, ac penè forenses,
Aut nimium teneris iuuenentur versibus vnquam:
Aut immunda crepent ignominiosaq; dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res:
Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Aequis accipiunt animis donantúe corona.

Syllaba longa breui ſubiecta, vocatur Iambus,
Pes citus: vnde etiam trimetris accreſcere iuſsit
Nomen Iambeis, cum ſenos redderet ictus:
Primus ad extremum ſimilis ſibi. non ita pridem,
Tardior vt paullò, grauiorq́ue veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in iura paterna recepit.
Commodus & patiens: non vt de ſede ſecunda
Cederet, aut quarta ſocialiter. hic & in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus
Aut operæ celeris nimium, curaq́ue carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quiuis videt immodulata poëmata iudex:
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.
Iccircò ne vager, ſcribamq́ue licenter: an omnes
Viſuros peccata putem mea tutus, & extra
Spem veniæ cautus? vitaui denique culpam:
Non laudem merui. vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu verſate diurna.
At noſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere ſales. nimium patienter vtrunque,
Ne dicam ſtultè, mirati: ſi modò ego, & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto:
Legitimumq́ue ſonum digitis callemus, & aure.
Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quæ canerent, agerentq́ue, peruncti fecibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis:
Et docuit magnumq́ue loqui nitiq́ue cothurno.
Succeſsit vetus his comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim

Dignam

Dignam lege regi. lex est accepta, chorusq́;
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

RESOLVTIO DIALECTICA.

PRæceptum hoc de cognitione drammatici poëmatis non est apertè à nostro legislatore promulgatum: sed per sua adiuncta, effecta, caussas, & c ita determinatum & definitum: ut ijs collectis artificio inductionis, etiam defunctoriè in dialectica uersato satis innotescat, quid sibi hisce nouem rebus uelit.

(Aut agitur res) 1. Descriptionis poëmatis drammatici pars est ex adiunctis: Quod non omnia quę spectatoribus significanda & demonstrãda sint, peragi debeant in scena & in obtutum populi uenire, sed ab histrione quasi intus acta renunciari. Tractatur autem hoc adiunctũ per prolepsin, argumento sumto ex comparatione uaria eorũ quę aguntur & referuntur, pro diuersis effectis.

Res subiectæ oculis fidelibus, quasq́; sibi ipsemet spectator tradit, magis eum mouent quàm quæ per aures accipiuntur:
Ergò contrarium parti huic faciendum est.

Respondet poëta non sufficere hunc finẽ ut quouis pacto fabula moueat auditorẽ: sed specialius esse descendendum, enitendumq́; ne odiũ pro amore sibi conciliet actor: & spectatoris animum sibi amicum reddere proponens, eum à se longè alienũ faciat. Antecedens itaq; prolepsis non est κατὰ παντός: cũ ex genere particulariter posito speciem quamlibet aduersarius apposuerit.

Nec pueros) Confirmatio est huius partis ab exemplis, cum adiuncto odio.

Medeam suos pueros in scena trucidãtem auersatur, & odit spectator, tanquam improbam & nefariam. Atreum coquentẽ palàm exta humana spectator odio

proſequitur: quod res impias & inhumanas peragat. Progne ſi in auem ſe conuerti poſſe demonſtrare voluerit, aut Cadmus in anguem, odium ſpectatorum ſibi lucrifecerint: quod ἀπίθανα ϗ ἀδύνατα *tent re dicebuntur:*

Ergo hæc & ſimilia non debent palàm geri, ſed ſola oratione ſpectatoribus deferri.

Néue minor) 2. à partibus: ne aut pluribus aut paucioribus quam quinque conſtet actibus.

Huius confirmatio ſumitur à fine: ut placeat ſpectatoribus, gratiamq́; ſibi paret.

Fabula in hunc finẽ recitatur, vt placeat ſpectatoribus: Ergo nec erit iuſto longior, nec breuior.

Nec Deus interſit) 3. ab adiunctis: ad diuinã opem non eſſe in fabulis confugiendum ut dij interſint: niſi res in tam anguſtum deducta fuerit diſcrimen, ut humanis conſilijs, & ope expediri nequeat.

Nec quarta loqui) 4. ab adiũctis: ne plures perſonæ uno eodemq́; tempore in ſcenã prodeant locuturæ, quàm tres. Quod ſi quarta accedat, id permiſſum erit, ut annuat, aut mandatum accipiat.

Actoris partes Chorus) 5. ab adiuncto choro: qui per plurima ſua effecta ſpecialia deſcribitur.

Chorus perſonã actoris unius ſuſtinebit, eiusq́; officiũ obibit. Chorus in ipſis medijs actibus non intercinet: niſi aliquid propoſito ualde homogeneum & accõmodatum reperire poſsit. Chorus bonis fauere debet, eorumq́; gratiam ſequetur. Chorus diligentẽ operam collocabit, ut iratorum animos ad tranquillitatẽ reducat, eosq́; ſedet. Chorus amabit eos, qui peccata, uirtutis amore, proſequuntur & fugiunt. Chorus parſimoniã laudibus ornabit. Chorus iuſticiam, qua Rerumpub. ſtatus incolumes conſeruãtur, laudabit.

laudabit. Chorus pacem & ea quæ ad pacem ſpectant ſpectatori cõmendare meminerit. Chorus taciturnitatis uirtute debet eſſe ornatus & conſpicuus. Chorus miſerorũ fortunam miſerabitur: & in ſuperbos conuitia effundet.

Tibia non vt nunc) 6. ab adiuncta tibia: quæ deſcribitur ab argumento diſsimilitudinis inter ueterem & nouam tibiam. Protaſis eſt. Tibia quę olim uſitata erat in fabulis, tenuis erat & ſimplex, paucis foraminibus: hoc ſolũ fine adhibita, ut choris eſſet inter canendum auxilio, quo facilius theatrũ totum impleretur. Antapodoſis eſt. Ea quæ nũc adhibetur longè diuerſa eſt: orichalco iuncta: tubæ parum aut nihil magnitudini cedens.

Quò ſanè populus) Augetur diſsimilitudo ueteris & nouæ tibiæ, cõparatione diſsimilium adiunctorũ & effectorum populi Ro. quæ ſunt tanquã cauſſæ prioris diſsimilitudinis. Quemadmodum P. R. in principio paruus, caſtus, uerecundus cõueniebat ad ſpectãdas fabulas: poſtea uerò dilatato, frequentibus uictorijs, imperio, cœpit interdiu, immò feſtis diebus lautè epulari, & Genio, gulæq; impunè indulgere: quòd antea inhoneſtum fuit, opusq; cenſorium exiſtimabatur: Sic tibia per ſuum artificem dilatari & adornari cœpta eſt: eiq; ac artifici ad priſtinã artem ſaltationes luxurioſæ, & ornatus ſuperflui additi ſunt.

Indoctus quid enim) Cauſſa προτάσεως huius poſtremæ diſsimilitudinis, ſeu mutati P. R. & accreſcentis licẽtiæ additur: imperitia mixti populi, & corruptum iudicium: quibus prohibitũ & factum eſt, quo minus, rectum à prauo, urbanus à ruſtico, turpis ab honeſto diſcerneretur.

Sic etiam fidibus) ἀνταπόδοσις eſt huius diſsimilitudinis: maiorum collatione tanquam gradatione illluſtrata. Non ſolum id tibicini aut tibiæ uſuuenit: uerumetiam citharæ chordæ plures ſunt additæ. Nec ſola cithara id ſibi ſumſit:

uerumetiam ipsa facundia, aut homines facũdi, nouam & inflatam quandã eloquentiã sibi uendicarunt. Nec id solũ facundia experta est: uerum sententiæ philosophicæ prius utiles & iucundæ in fabulis, tantam mutationem subierũt, tantamq; sapientiam & obscuritatẽ affectarunt, ut ab oraculis delphicis parum aut nihil distare sibi uiderentur: sed deorum oracula appellari digna: ipseq; poëta Deus & Apollo se salutari appeteret.

Carmine qui tragico) 7. ab adiunctis Tragœdiæ Satyris: quos uarijs argumentis describit. A` fine. Satyri in Tragœdias introducti sunt, sine ullo faciei tegumẽto & persona: ut (illæsa tamen tragica constantia) ijs dicacitas & seueritas tragica, eorumq; iocis & salibus demulceretur & cõdiretur: spectatorisq; animus defatigatus morarẽt & recrearetur. *Verùm ita*) Correctio est præcedẽtis descriptionis Satyrorũ: ita nempe admiscenda esse, à Satyris, iocis seria, ut personarũ decorum saluum maneat: ne qui iam Deum aut Heroem quendam representabat, iam mox caupo aut homo plebeius uideatur: Aut dum id uitiũ fugit nimium se extollat. Sententia est. Satyrus ita suum officium tuebitur, ne nimiũ se demittẽdo psonæ comicæ partes suscipiat, aut se nimium extollẽdo tragicus aut persona tragica fiat.

Effutire leues) Satyrorum ab effectis descriptio. Satyrus non debet in Tragœdia, quæ id acerbè fert, effutire leues uersus. *Vt festis*) Amplificatio huius partis sumit̃ à simili.

Pudica matrona cui necessariò saltandum est diebus festis, saltat quidem sed nonproscripto pudore:
Sic igitur Satyrus admittet in tragœdia lasciuiam: modo & pudore reseruatis.

Non ego inornata) Ab effectis. Satyrus non semper utetur uerbis dominantibus & proprijs quæ sine ornatu sen-

tentiam

tentiam ſuam acceperunt: ſed etiam poſtulātibus circumſtantijs translata adferet: fucum & ornatum ſuæ orationi addet. *Non ſic enitar)* Similiter ab effectis. Satyrus non adeò ſuperſtitiosè humili orationis generi ſtudebit, ut à Tragica perſona differat: quin etiam recordetur ſe à perſona comica diuerſum eſſe. Sententia eſt. Satyrus nec nimis humile dicendi genus ut comicum, nec nimis grande ut tragicum uſurpabit.

Vt nihil) Amplificatio eſt ab exemplis. Cogitanda Satyro eſt differentia, quādo perſonæ comicæ ut Dauus & Pythia, quando tragicæ ut Silenus Bacchi ſeruus, loquantur.

Ex noto fictum) Alia pars deſcriptionis Satyrorū ex ſubiecto carmine eiusq́ materia & forma: ac Satyrorum in eo componendo artificio.

Satyri ex re nota, uita communi & omnibus obuia cantum ſuum euoluent: qui tamen ita diſponendus eſt, ut cuiuis facilis imitatu appareat: ſed id periclitantes, fruſtrentur. *Tantum ſeries)* Amplificatio eſt ab ordinis commendatione: quod eius tanta ſit uis & efficacia ut eius opera quæ facilima appareant: difficilima expromtu ſint.

Siluis deducti caueant) Alia pars deſcriptionis Satyrorū ſeu eorum uicem ſupplentium Faunorum, à ſubiectis uerbis cum eorum adiunctis. Fauni non uſurpabunt uerba omninò delicata & honeſta.

Ne velut) Ratio eſt ex adiunctis: ne uideantur in triuijs & medio foro, aut locis ciuitatis celebrioribus nati.

Aut immunda) Nec tamen debent nimis obſcœna: ignominioſa & immunda ſonare. *Offenduntur)* Ratio eſt ab adiunctis ſpectatorum & auditorum: ſeu ab effecto uerborum quæ proferant. Quod offendant auditores præſtantiores, equites, patres, ſenatores, quibus non ſemper gratum eſt, quod uilis ſortis hominibus arriſerit.

Syllaba longa breui) 8. pars descriptionis drammatici poëmatis est à materia, forma, notatione, adiunctis. Poema drammaticum constat pede Iambo sexies repetito: unde etiam nomen accepit Senarium. Quod tamen, cum Iambus sit pes citò currens, amisit, uocatumq; est Trimetrum duobus, in metiendo, coniunctis Iambis. Ex materia forma, & notatione. *Non ita pridem)* Adiuncta eius sunt. Iambicũ carmen, ut cum maiori grauitate audiretur recitatum, spondæum in locis imparibus recepit. Qui tamen in Plauti & Ennij carminibus trimetris Iambicis rarus apparet: cum ij liberiores mutationes sibi attribuentes, satis esse existimarunt, in ultima sede Iambum retinere: in reliquis sedibus, Tribrachum, Anapæstum, Dactylũ, &c. promiscuè adhibentes. *In scenam missos)* Descriptioni huic adiungitur admonitio: cautè in scribendo carmine agendum, ne propter abusum alienorum pedum loco Iambi, delicatis auribus perturbatis, malè audiamus. Huius admonitionis sola ratio ponitur: unde hic sensus comminiscendus est. Confirmatur autem à dissimili cum tribus suis adiunctis quæ uituperationem merẽtur. Grammatica est. Versus Iambicos in scenam nimis tardos spondæorum interuentu produci, indicat arguitq; poëtam trium criminũ reum, nimiæ festinationis, imperitiæ, negligentiæ. *Non quiuis videt)* Admonitioni duæ prolepses opponuntur. Quarum prima est desumta ex adiuncto siue spectatorum siue poetarum: & ab adiuncta Romanis poëtis licentia.

Non quiuis iudex aut spectator animaduertit in carmine vitia eaq; iudicat: etsi maximè id faceret, nihilominus venia & licentia magna permissa est Romanis poetis: Ergo non est necesse superstitiosa quadam diligentia Iambum in Carmine reseruare.

Respondet poëta non propterea licenter & temere húc illûc,

illúc, ſurſum deorſum peruagandum & quiduis ſcribendum. Immò potius exiſtimandum & cogitandum, omnes noſtra errata animaduerſuros, ſi quæ in noſtris ſcriptis ſint: & ita demum tuti ab ijs erimus. Immò etiã exiſtimandum nos impunè non peccaturos, & ita cauti erimus: cum ipſi ſpem omnem ueniæ nobis præciderimus.

Vitium itaq; fuit in prolepſi contra legem κατὰ παντὸς ſeu Elenchus contrariorum: cum uenia contraria ſtatuatur diligentiæ, quę ſunt potius concurrentes cauſſæ boni carminis. In altera autem prolepſis parte, nempe iudicandi imperitia aut negligentia peccatur etiã cõtra legẽ κατὰ παντὸς & Elenchus cauſſæ eſt: cum illud iudicij adiunctum pro cauſſa deponendæ negligentiæ falſò putetur. Quin potius contrarium habebit effectum ſi ullum nactum fuerit, nempe ad diligentiam adhortationem. *Vitaui deniq;)* Amplificatur reſponſio per conceſsionem & per effectorum cõparationem, quæ ex prolepſi & reſponſione ſequuntur.

Qui ſcribit carmen qualecunq; propter cõceſſam ſibi ueniam, culpam fortaſsis uitauerit. At qui diligenter carmen ſcribit laudem meretur. *Vos exemplaria)* Alia concluſionis amplificatio cum apoſtrophe ad Piſones: potius græcorum ſcripta die noctéq; reuoluenda, quam ueniæ confidendum. *At noſtri proaui)* Altera prolepſis à ſimili facto maiorum.

Noſtri maiores laudauêre carmina Plauti & Ennij, quãuis in ijs non eſt magna habita ratio Iamborum:
Ergo id in nobis reprehendi non poteſt.

Reſpondet poëta ex adiunctis iſtorum factorum: nimia patientia, & ſtultitia. Maiores ſtultè id feciſſe: modò eius iudicium & bonorum poetarum, in exanimando carmine non ſit falſum.

Peccatur itaq; in prolepſi contra legem καθ' αὑτὸ fitq; E-

lenchus effecti: cùm factum, malum quo bono accipiatur: uituperatione dignum, pro laudabili. *Ignotum tragicæ)* 9 & ultima descriptionis pars à caussa fabularum efficiente procreante & conseruante.

Caussam procreantem fabularum (sed de Tragœdia sola loquitur) statuit poëta Thespin. Cuius poëmata describuntur à subiecto, adiunctis, effecto, fine. Poemata Thespis fuerunt talia in quibus actores plaustris circum ciuitates circumuecti quosuis obuios scommatis proscindebãt, & extemporanea in quemlibet conuitia profundebant, in facie fæcibus peruncti ne dignoscerentur. *post hunc)* Caussa conseruans seu perficiens Tragœdiam dicitur Aeschylus. Huius Tragœdię, tanquam perfectiores & nobiliores, describuntur ex adiunctis 4. laruis seu persona: palla: oratione grandiori: cothurno: & subiecto seu scena in qua agebantur. *Successit vetus)* Hæc de Tragœdiæ descriptione. Sequitur comœdia. Occasionẽ inuẽtæ Comœdiæ à Tragœdia ortam esse docet poëta: quos tamẽ habuit inuentores tanquam notum ex 1. ser. 4 Satyra relinquit. Inibi enim hoc carmine eius inuentores celebrantur:

Eupolis atq; Cratinus Aristophanesq́; poetæ.

Describitur aũt comœdia illa uetus ab effectis & adiunctis. Comœdia uetus in principio sibi magnã laudẽ parabat iusta sua, reprehẽdendi uitia, licentia contenta. Sed quã mox cœpit paullò turpius & sine discrimine nominatim maiores personas cõuellere: & pro licentia quiduis tentãdi libertatem sibi arrogare, orbata laude odiũ & ignominiã reportauit: Vt merito suo, lege tanquam carceribus contineretur & regeretur: ne quemquam expresso nomine uellicaret aut taxaret: choroq; priuata est.

Hæc prolixa satis poëmatis drammatici descriptio cumulatè apertum facit quid in hoc genere poëmatis poëtam scire sit operæpretium. RESO-

RESOLVTIO RHETORICA.

A*Vt, aut)* Anaphora. *agitur acta)* Polyptoton. *irritant)* Metaphora à canibus. *quæ quæ)* Anaphora. *ex oculis)* pro conſpectu, Metonymia ſubiecti. *facundia)* id eſt facundus, Metonymia adiuncti. *Medea)* Notum eſt, hîc & in ſequẽtibus per Metonymiam ſubiecti intelligi actores non ipſas ſpecies. *neue neu)* Anaphora.

nodus) Metaphora à rebus corporeis quę ligantur. *dapes menſæ breuis)* Intelligitur tenue & breue conuiuium per Metonymiam cauſæ materialis. *Salubrem iuſticiam)* Metonymia effecti: Iuſticia enim Reſpub. ſalubres conſeruat.

apertis otia portis). Periphraſis pacis: cum Metonymia adiuncti. Pacis enim tempore portæ ſunt apertę: ut bello clauſæ. *Aemula)* Metaphora ab hominibus. *Sedilia)* id eſt, hominum aures in ſedilibus ſedentium: per Metonymiam ſubiecti. *extendere)* pro amplificare, Synecdoche ſpeciei. *agros)* Synecdoche mẽbri pro potentia. *Genius)* Metonymia efficiẽtis. Genius dicit̃ Deus & natura: & hîc accipitur pro cuiuſq; hominis natura. *vino diurno)* Epitheton uini ab adiuncto, quod interdiu bibitum ſit. *Sic ſic)* Anaphora. Eſt etiam hic gradatio ut prius monui. *Facundia)* id eſt, facundus, Metonymia adiuncti. *Sortilegis delphis)* id eſt, oraculis quæ Delphis reddebantur, Metonymia ſubiecti.

Cammine qui tragico) Periphraſis ſcriptoris tragici ab effectis. *Ita Ita)* Anaphora. *tabernas)* Taberna pro homine abiecto, in tabernis uerſanti, Metonymia ſubiecti.

aut dum vitat) Allegoria à rebus corporeis. *moueri)* Synecdoche generis pro ſaltare. *Non ego inornata)* Allegoria ab hominibus. *color)* Metaphora à coloribus ornatis rebus. *emuncto)* Metaphora ab emungendo naſo.

idem idem) Epiſtrophe. *Tantum tantum)* Anaphora.

Triuijs) id eſt, Medijs locis urbis, Metonymia adiuncti cũ ſignificentur loci ornatiores & comti. *Forenſes*) Similis Metonymia pro honeſtis moribus ornati. *Iuuenentur*) Metaphora à iuuenibus laſciuientibus. *Crepent*) id eſt, recitent Synecdoche generis. *equus, pater, res*) Adiũcti Metonymia pro patres, equites, & diuites. Sic emtor nucis & toſti ciceris, pro homine abiecto & tenuis fortunæ. *pes*) Metaphora à pedibus animalium. *accreſcere*) Metaphora. *ictus*) Similis Metaphora ab animalibus. *Iura*) Ab hæredibus Metaphora. *nobilib.*) Bona pars interpretũ Ironiã hîc collocant: ſed uerisſimilius eſt uocabulum, *Nobilibus*, accipi hîc pro uſitatioribus maximeq́ notis. P. Victorio uiſum eſt, *mobilibus* reponere. *Non quiuis*) Occupatio cùm proſopopœia. *Vos*) Apoſtrophe ad Piſones: aut ad omnes poetas. *nocturna*) id eſt, relegite diligenter per Metonymiã adiũcti: relegẽdo enim libros neceſſe eſt eos manibus tractare. Ponitur etiam diurna manus & nocturna per Metonymiam adiuncti temporis: cum id noctu & interdiu faciendum ſit. *At noſtri proaui*) Alia occupatio. *numeros & ſales*) id eſt, carmina, Metonymia adiuncti. *nimium patienter*) Conceſsio. *ne dicam*) Præteritio Ironiæ ſpecies. *ora*) Synecdoche membri pro facie. *pulpita*) id eſt, ſcenas: Eadem Synecdoche. *Lege lex*) Polyptoton.

IX. PRAECEPTVM.

POema diu multumq́, antequam in publicum prodeat, elimator.

Nil intentatum noſtri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere: & celebrare domeſtica facta:
Vel qui prætextas vel qui docuêre togatas.
Nec virtute foret, clarúsue potentius armis,
Quam lingua, Latium, ſi non offenderet vnum:
Quemq́; poetarum limæ labor: & mora. vos ô

Pom-

Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit: atq;
Præfectum decies non castigauit ad vnguem.

RESOLVTIO DIALECTICA.

SEntentia huius præcepti est, operæpretium esse ut poëta suo poëmati, ursi more sæpiùs lambendo & elimando, formam donet. *nil intentatum)* Prima confirmatio est sumta ab exemplis ueterum poëtarum.

Latini laudem & gloriam meriti sunt sua diligentia:
Ergo nobis eorum exemplo ei rei studendum est.

Nec virtute) Secunda confirmatio ab aduersis.

Negligentia et in elimando scripta mora impediunt laudem poetarum: & hoc nomine fugienda:
Ergo diligentia quæ eam promouet est amplectenda.

Antecedēs cōparatione similiū illustrat: ꝓfiteturq; poëta nō plus laudis bello quā studijs acquisitū iri: si pari diligētia instituant. *Vos ô Pompilius)* Tertia cōfirmatio ab aduersis & aduersorum dissentaneis adiunctis.

Poëma non elaboratum nec elimatum reprehenditur.
Ergo elaboratum laudatur.

RESOLVTIO RHETORICA.

V*Estigia)* Metaphora. *Vel qui)* Anaphora est quia bis repetit. *prætextas togatas)* Metonymia adiuncti: pro fabulas in quib. Heroicæ sunt personæ, aut humiles. *Virtute)* per fortitudine Synecdoche generis. *armis)* pro bello Metonymia adiuncti. *Latium)* pro hominibus Metonymia subiecti. *Limæ labor)* Metaphora à fabris. *vos ô)* Apostrophe ad Pisones cum exclamatione. *Litura, coercuit)* Metaphora ab arborib. Coercere eñ est superflua amputare: nec pati arborē ramos latius fundere quam utile sit. *Castigauit)* Metaphora ab animalibus & præcipuè

hominibus. Nam castigare est increpare & reprehendere, uitijs demonstratis, ut sequatur postea emendatio. *ad vnguem)* Metaphora à marmorarijs, qui æquales lapidum iũcturas & sculpturas ungue pollicis probare dicuntur.

X. PRAECEPTVM.

ETsi animorum inflammatio & afflatus furoris, in condendo carmine summas tenet, tamen ei, arte spreta, totum negotium attribuere nolito.

Ingenium misera, quia fortunatius, arte
Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus: bona pars non vngues ponere curat
Non barbam: secreta petit loca: balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenq́; poetæ:
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. ô ego læuus,
Qui purgo bilem sub verni temporis horam.
Non alius faceret meliora poemata. verum
Nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.
Munus, & officium, nil scribens ipse, docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formetq́; poetam:
Quid deceat, quid non: quò virtus, quò ferat error.

RESOLVTIO DIALECTICA:

I*Ngenium misera)* Confirmatur præceptum à contrario: eiusq; ridiculis effectis.

Bona pars poetarũ, Democriti autoritate, statuentis poetas insanos esse debere, moti, arte contemta statuunt solo furore constare poetam & poema: & hoc nomine vnguium & barbæ præsegmina dissecari non patiuntur: balnea vitant: ferarum latibula & loca secreta petunt:

tunt: & ad ſummam ſperant poetæ celebritatem nacturos ſe ſi ne caput vnquam expurgauerint:

Ergo quod erat in præcepto propoſitum eſt faciendum.

Ratio concluſionis ſeu propoſitio in ſyllogiſmo deſirmi debet ex adiuncta hiſce factis deriſione. Quod omnia quæ ita ridiculè & temerè fiant, ſint cane peius & angue fugienda & deridenda. *ô ego læuus)* Ironicè per ſyllogiſmũ connexum concludit poëta ſe non eſſe bonum poëtam: argumento ſumto ex prædictis quorũdam poëtarũ effectis.

Si Horatius impenſius non cuperet inter ſanos quam inſanos locum habere poëtas: effectaq; prænominata faceret eſſet bonus poëta:

Atqui illa nihili facit: cupitq; ſatius ſanis quam inſanis annumerari:

Ergo non eſt bonus poëta.

Qui purgo) Propoſitio. *Verum nil)* Aſſumtio. *Ergo)* Complexio ſimilitudine amplificata. Quemadmodũ Cos ſecare inepta cum ſit, ferrum ad ſecandum aptum reddere poteſt: Sic ego poëtam munus & officium ſuum doceo & quæ poëtæ neceſſaria & quæ utilia, cum tamen ipſe carmen bonum conficere nequeam.

Hic ſyllogiſmus, demta Ironia, præcepti altera cõfirmatio eſt: argumento à facto ſpeciali Horatij ſumto:

Horatius nihili facit illa ridicula quorundam poëtarum facta:

At Horatius facit bona carmina:

Ergo quidam facit ſine ijs bona carmina: nec totum negotium in carminibus condendis illis aſcribẽdum eſt.

RESOLVTIO RHETORICA.

HElicone) Metonymia ſubiecti pro conſortio Muſarũ & poëtarum diuinorum in Helicone monte Muſis

ſacro cõuerſantiũ. Eſt quoq; hic Synecdoche ſpeciei : poëtæ in Helicone pro omnibus doctis. *non non)* Alterum in principio alterum in medio ſentẽtiæ, Epanodon facit. *anticyris)* Metonymia ſubiecti. Anticyra inſula pro Helleboro illic creſcente ponitur: quo Melancholia purgari cõſueuit. Eſt etiã hîc Hyperbole cum indicetur caput adeò eſſe Melancholica deſipiẽtia impletũ, ut ſi tres eſſent Anticyræ Helleborũ proferentes ad eam expurgandam non ſuppeterent. *Lycino)* Synecdoche ſpeciei. Nomen fuerat tonſoris cuiuſdã celebrioris pro quouis alio. *ô ego læuus)* Exclamatio cũ Ironia. *Hora)* Synecdoche ſpeciei. *meliora poëmata)* Ellipſis & reticentia horum uerborũ: Si ego id non facerẽ. *Nil tanti eſt)* Similis reticentia: deſiderantur enim hæc uerba: ſcilicet ingenium aut furor: ut corporis curam eis poſteriorem habeam. *opes)* Generis appellatione indicatur ſpecies: diuitiæ poëticę. *alat)* Metaphora ab animalibus. *Quid quid)* Anaphora.

XI. PRAECEPTVM.

Poëta ſapientia inſtructus eſto.

Scribendi rectè, ſapere eſt & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes:
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium: quæ
Partes in bellum miſſi ducis: ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuiq;.
Reſpicere exemplar vitæ morumq; iubebo
Doctum imitatorem: & veras hinc ducere voces.
Interdum ſpecioſa locis, morataq; rectè
Fabula, nullius Veneris, ſine pondere, & arte,

Valdius oblectat populum, meliusq́ moratur,
Quam versus inopes, rerum nugæq́ canoræ.
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem, nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum deducere. dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est,
Vncia: quid superat? poteras dixisse triens: heus
Rem poteris seruare tuam. redit uncia: quid fit.
Semis. at hæc animos ærugo, & cura peculi,
Cum semel imbuerit: speramus carmina fingi
Posse linenda Cedro: & læui seruanda cupresso?

RESOLVTIO DIALECTICA.

PRæceptum hoc de opibus & alimento poëtæ, hoc est eius sapientia, cõfirmatur à sapientiæ qualicunq; & ad propositum accommodata descriptione.

In omni actione principium & origo erunt cognita & explorata.
In carminibus scribẽdis sapientia est principiũ et origo:
Ergo ibi perfectè cognita & explorata esse debet.

Rem tibi Socraticæ) Amplificatur præceptũ per distributionem Sapientiæ in suas partes materiales: res & uerba.

Res uarijs argumentis describuntur. A'subiecto quòd reperiri posint, in Platone, Aeschine, Xenophonte reliquísque Socraticæ Philosophiæ assectis. Ab effecto: Res enim uerba non inuito tanquam necessaria effecta sequuntur. A'subiectis circa quæ uersantur: ut sunt πρέποντα scire & quid patriæ, patri, fratri, hospiti, senatori, iudici, Imperatori, &c. conueniat.

Respicere exemplar) Elocutio à caussa efficiente describitur: Quod proposita Idea Platonica de rerum sapiẽtia, hæc

non inuita inde deducenda sit, & quid in cuiusque uitæ consuetudine ac moribus positum sit aptè exponendum.

Interdum) Amplificatur hæc doctrina de sapientię partibus cōparatione dissimili. Etsi magni momēti sit doctrina elocutionis: tamen sæpius fabula aspersa & ornata sententijs & rebus Philosophicis sine omni uerborū ornatu, pondere, & uenustate plus populum delectat, quā politissima, nulla subiecta sapiētia rerū & Philosophia Socratica.

Graijs ingenium) Digreditur in commendationem Gręcorum, & Romanorū uituperationem ab effectis: quod hi mala illi uerò bona carmina composuerint: addita utriusque effecti caussa efficiente & finali. Græcorū diligentia, & lau de actionibus eorum proposita, factum est quod illi bona carmina fecêre. Romanorū in studijs negligētia, & amore faciendæ rei & pecuniæ eorum actionibus propôsito, factum est: ut rubigine obductis eorum animis, non cecinerint carmina aut digna lectu aut ut posteris conseruentur.

RESOLVTIO RHETORICA.

F*Ons)* Metaphora. *Chartæ)* pro Philosophia Socratica & Platonica, chartis & libris concredita: Metonymia subiecti est. *inuita)* Metaphora ab animatis. *Qui, quid, quo, quod)* Polyptoton. *conscripti)* senatoris & principis Reipub. Metonymia adiuncti. *imitatorem)* Synecdoche generis pro poëta. Poësis enim nihil aliud est, quam μίμησις imitatio. *pondere)* Metaphora à rebus corporeis ad quarum similitudinem uerba ornata ponderosa appellantur. *Graijs, Graijs)* Anaphora. *ore rotundo)* Metaphora à figura rotunda quæ perfectissima est. *auaris)* pro cupidis Synecdoche speciei. *Romani pueri)* Doctrina Arithmetica pro ratione cumulandi diuitias seu auaritia ponitur, per Metonymiam efficientis seu coadiuuantis caussæ. *assem)*

Synec-

Synecdoche ſpeciei pro quauis re numeranda. *centum)* Similis Synecdoche pro quouis magno numero.

Dicat) Dialogiſmus & proſopopœia præceptoris cum diſcipulo in aſſe diuidendo. Filius autem Albini numulatoris cuiuſdā, pro omnibus diſcipulis interrogatus reſponſum dat pręceptori per Synecdochen ſpeciei. *ærugo)* Metaphora ab ærugine qua metalla conſumuntur. *digna cedro)* Metonymia adiuncti. Intelliguntur enim bona carmina quæ digna ſunt ut, cedro linita cupreſſoq; conſeruata poſteritati tranſmittantur.

XII. PRAECEPTVM.

POëta carmine aut doceto: aut delectato: aut utrumq; coniungito.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ:
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
Quicquid præcipies, eſto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.
Nec, quodcunq; volet, poſcat ſibi fabula credi:
Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis:
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci
Lectorem delectando, pariterq; monendo.
Hic meret æra liber Soſiis: hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat æuum.
Sunt delicta tamen, quibus ignouiſſe velimus.
Nam neq; chorda ſonum reddit, quem vult manus & mens:
Poſcentiq; grauem perſæpe remittit acutum:
Nec ſemper feriet, quodcunq; minabitur arcus

Verum, ubi plura nitent in carmine: non ego paucis
Offendar maculis: quas aut incuria fudit:
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?
Vt scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamuis est monitus, uenia caret: & citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat fit Chœrilus ille,
Quem bis, terque bonum, cum risu miror: & idem
Indignor. quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

RESOLVTIO DIALECTICA.

LAta lex est, fines propositos poetæ esse debere doctrinam: delectationem: aut utrumque. Hi fines singulatim uariis argumentis illustrãtur. *Quicquid præcipies*) Doctrina, à caussa adiuuãte amplificatur. Docenti poëtæ cooperatur & auxilia submittit breuitas: quod duobus argumentis à fine & à contraria prolixitate probatur.

Breuitas intelligentiam ad percipienda citò, ea quæ dicuntur, iuuat: & memoriam ad eadem conseruanda:
Ergo breuitas docenti cooperatur.
Prolixitas odiosa ingenio officit: memoriamque nimium replendo plurima ut effluant in caussa est:
Ergo breuitas docentem coadiuuat.

Ficta voluptatis) Delectatio similiter à caussa coadiuuante, figmentis illustratur. Ficta uoluptatem promouent & expromunt modo à fide non omnino sint aliena. Cuius ratio est quod non omnia quæ finguntur in fabulis fidem merentur: ut si Lamia introduceretur puerum comœstum, in scena ex aluo uiuum producere ἀπίθανον καὶ ἀδύνατον esset.

Centuriæ seniorum) Monuit hactenus poëta debere esse uoluptatem & utilitatem in omni poëmate. Nunc porrò

monet

monet id non sufficere: quinimò utrumque coniungendum, si quis brabium aut coronam expetat. Argumenta à iudicijs diuersorum spectatorum seu auditorum petita sunt.

Aetate grandes & iudicio firmati poemata sola voluptatis caussa comparata aspernantur & respuunt:

Ergo voluptas non potest nec debet in poemate sine doctrina existere.

Celsi Rhamnes id est, equites vel iuuenes feroces nō libenter audiunt poemata nulla voluptate temperata:

Ergo doctrina non erit absque voluptate: sed vtrumque coniungendum.

Centuriæ seniorum) Hi duo uersus antecedentis uim habent. *Omne tulit*) Consequens est. *Hic meret æra*) Alia cōfirmatio, coniungendam esse utilitatem cum uoluptate à finibus diuersis carminis.

Carmen in quo voluptas cum vtilitate coniungitur librarijs lucro est: nomen scriptori immortale acquirit:

Ergo vtilitas cum voluptate coniungi debet.

Sunt delicta tamen) Præoccupatio est de iudicij, in hoc alijsúe præceptis æquitate. Obijceret enim aliquis ex adiuncta hisce præceptis duritie, sæuitie & extremo in hisce præceptis rigore.

Horatius nimis duras & ferè impoßibiles leges ferendo adolescentium animos à poesi deterret:

Ergo eius præcepta non sunt perscribenda.

Respondet poëta ex adiuncto: docetque adiuncti Elenchum committi. Falso enim hoc eius præceptis tribuitur quod sæuitie sua possint iuniorum animos à studio poëticę deturbare: cum ipse se multa de hisce præceptis remissurum profiteatur, doceatque. *Nam neque*) Ratio remissę asperitatis probatur à simili: à causa accidentali: ab exemplo.

Citharœdus non semper quam in animo habet Chordam

 pulsat:

pulsat: Et sagittarius metam ad quam collimat non semper attingit: vtrumq; tamen sine reprehensione fit:

Ergo etiam poetæ raro erranti & contra præcepta offendenti venia danda est.

Verum vbi plura) A caussa accidentali imprudentia.

Imprudentia sæpe poetæ labuntur:

Ergo ijs venia danda: hac tamen addita cautione ne sæpius id contingat.

Quid ergò) Ne hinc pro licentia libertas arriperetur, admonet sæpius peccantem non uenia sed pæna dignum esse: admonitionem duplici similitudine comprobans.

Librarius propria manu libros describens, si admonitus idem erratum sæpius iteret, indignus est cui ignoscatur. Citharœdus deridetur qui in vna eademq; chorda sæpius aberret:

Ergo poeta frequentius peccans non est venia dignus: quin potius Chœrilo aßimilandus.

Quandoq; bonus) Cõfirmatio tertia, ut monui, permissionis ab exemplo Homeri.

Bonus Homerus aliquando dormitat & errat:

Ergo alijs poetis id sine reprehensione erit permissum.

Verum) Vltima confirmatio à caussa accidentali necessitate.

Necesse est in longo poemate incidere errata:

Ergo poeta etiam meretur veniam rarius aberrans.

RESOLVTIO RHETORICA.

A*Vt aut)* Anaphora. *Esto breuis)* Apostrophe. *Omne superuacuum)* Metaphora ab ijs rebus quę in pectus ingerũtur: Aut etiam Horatius, sententia quorundam, prudentiã & sapiẽtiam in pectore collocauit. *Centuriæ Seniorum)*

rum) id eſt, ſeniores Romani, ſpecies pro genere. Eſt enim alluſio ad centurias in quas ſingulæ tribus erant diuiſæ. *frugis)* Metaphora à frugibus. *Rhamnes)* Synecdoche ſpeciei pro omnibus equitib. Sed cum eos celſos appellat iuniores notat: qui equis inſidẽtes celſiores ſunt: equoq; ſtipendia faciũt. *Omne tulit punctum)* Metaphora ab ijs qui Magiſtratum petebant: Aut à iudicij forma. Punctum pro ſuffragio Metonymia ſubiecti. *æra)* Metonymia materię. *Soſijs)* Soſij ſpeciales quidam librarij Romani pro quibuſcunque: Synecdoche ſpeciei. *Et &)* Epanodos. *Sunt delicta tamen)* Proplepſis cũ permiſsione. *vult manus)* Metaphora à uoluntate. *Minabitur)* Metaphora ab animatis. *nitent)* Metaphora à rebus lucidis. *fudit)* Metaphora à liquidis. *Quid ergo?)* Correctio eſt unà cũ Reticẽtia, & Adubitatione: deſideratᷣ enim: Cũ ita ſe habeant prædicta ut ſint quædã delicta quibus ignoſcendum ſit: Quid ergo faciendum eſt? liberè ne licet peccare? *Errare)* Metaphora à uiatoribus. *ceſſat)* id eſt, qui negligẽs eſt, Synecdoche ſpeciei. *Chœrilus)* Metonymia ſubiecti, id eſt, ſit ridiculus ut Chœrilus. *Bis terq;)* Pro quouis numero, Synecdoche ſpeciei. *Dormitat)* Subiectum pro adiuncto: cum inter dormiendum ſæpiſsime aberremus.

XIII. PRAECEPTVM.

POëta in ſua excellito arte: aut à ſcribẽdo abſtineto, nomenq; poëtæ æquo animo amittito.

Vt pictura, poëſis. erit, quæ ſi propius ſtes
Te capiet magis: & quædam, ſi longius abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri:
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
ò maior iuuenum, quamuis & voce paterna

Fingeris ad rectum, & per te sapis: hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium, & tolerabile rebus
Rectè concedi. consultus iuris, & actor
Caussarum mediocris, abest virtute diserti
Messalæ: nescit quantum Cassellius Aulus:
Sed tamen in pretio est. mediocribus esse poëtis
Non di, non homines, non concessêre columnæ.
Vt gratas inter mensas Symphonia discors,
Et crassum vnguentum, & Sardo cum melle papauer
Offendunt: poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inuentumq́ue poëma iuuandis,
Si paullum summo discessit; vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:
Indoctusq́ue pilæ, discíue, trochíue quiescit:
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere: quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioq́ue remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciésue Minerua.

RESOLVTIO DIALECTICA.

V*T pictura poësis)* Breui similium comparatione confirmatur præceptum: *Vt pictura poësis:*

Erit quæ si) Neglecta similitudinis apodosi protasis explicatur. Quemadmodũ pictura deterior aut etiã mediocris uix semel, idq́ non nisi è longinquo tanquã per transennas cõspecta placet: ac etiam in publicũ apertumq́ proferri & respici coràm ueretur: bona cõtrà in uulgus & publicũ cupit deferri & inspici, deciesq́ inspecta placet.

Apodosis potest esse. Sic poëma mediocre leuiter animos hominum cõmouet delectatq́, sæpius tamẽ non desideratur: excellens uerò & suis coloribus illustratum egregiè cõmouet, delectationisq́ aculeis in animis auditorum infi-

infixis & relictis sæpissimè auditum, sæpius iterandum postulatur. Ita exposita similitudine conclusionis uis non potest amplius latere.

Eadem est ratio picturæ & poëseos:

Atqui mediocris pictura vix semel è longinquo visa placet: parumq́ue mouet: excellens sæpius, & perfectè placet ac commouet:

Ergo poësis mediocris parum, excellens perfectè delectat mouetq́ue: Poëtaq́ue si placere vult, aut sit excellens aut à scribendo se prohibebit.

O maior iuuenum) Amplificatur præceptum cõparatione similiũ & dissimiliũ. *Certis medium)* Protasis dissimilitudinis est. In rebus pluribus laudatur mediocritas: ut Iureconsultus mediocris etsi non tantos fecerit progressus quã A. Cassellius: ut Causidicus mediocris etsi non tanta ualeat eloquẽtia ac Messala Coruinus in aliquo tamẽ numero est. *Mediocribus)* Antapodosis dissimilitudinis est. Sed poëta mediocris nec deorum, nec hominum, nec ullius rei suffragio in honore habendus iudicatur.

Ratio, ex dissimili, conclusionis est.

Poëta mediocris non est in honore:

Ergo debet excellere.

Vt gratas) Similitudinis protasis est. Vt cœna delectationis gratia instituta ingrata est nisi id excellenter expromat: delectatione, nec ἀφωνίᾳ, nec unguento, nec sardo, aut papauere ingrato impedita. *Sic)* Apodosis est. Sic poëma ingratum est quod à perfectione & excellentia deficit.

Conclusionis ratio ex simili est.

Cœna mediocriter delectans est ingrata:

Ergo etiam carmen mediocre: poëta mediocris.

Ludere q nescit) Cõfirmatio alia à cõparatione minorũ.

Ad ludendum nemo imperitus accedit:

Ergo nedum ad ſcribendum carmen accedere debet imperitus, qui non ſuſtineat id omnib. ſuis numeris perficere.

Indoctusq́ pilæ) Antecedẽtis ratio eſt per inductionem ludorum, ex diſtributionis argumento: *Diſci, Trochi, Pilæ,* quæ enumeratio ſufficiens ne ſit meum nõ eſt inſtitutum ex antiquitatib. Romanis perquirere: Satis eſt ad hoc inſtitutum plena. *Ne ſpiſſæ)* Ratio antecedẽtis alia à factis ſpectatorũ: qui poëtam imperitũ & luſorẽ malum ludibrio & riſui exponent. Ex his cõfirmatis notum eſt omnia in poëmate debere eſſe ſumma, nihil mediocre: & per argumentum à coniugatis inhoneſtũ eſſe poëtæ in ſecundis tertijs ue conſiſtere. *Qui neſcit)* Prolepſis eſt contra præcedens præceptum Horatij ab adiunctis perſonarum, libertate, generis nobilitate, dignitate, diuitijs.

Liberos, ingenuos, conſpicuos, diuites nemo cogere poteſt:
Ergo licet illis ſcribere verſus etſi ad ſummum faſtigium non perueniant.

Tu nihil) Reſpondet Horatius, id ſe inuito fieri cum ad conficienda carmina hæc prædicta parum aut nihil conferant: aliamq́; eſſe carminũ cauſſam efficientẽ artem, beneficio naturæ longaq́; exercitatione partam.

Peccatur itaq; in ſyllogiſmo per Elenchum cauſſarum: cum adiuncta pro cauſſis ponuntur, quod πρῶτος non eſt: nec etiam καθ' αὐτό.

RESOLVTIO RHETORICA.

S*Tes abſtes)* Paronomaſia. *te capiet)* Metaphora ab animatis. Qualis etiã ſunt in ſequentibus. *amat, volet,* &c. *Hæc hæc)* Epanodos. *acumẽ)* Metaphora à corporeis: cũ acumen ab acuo deriuetur. *Hæc Hæc)* Anaphora. *placuit placebit)* Polyptoton. *Decies)* Numerũs denarius pro quouis magno numero Synecdoche ſpeciei. *ò maior)* Exclamatio cũ Apoſtrophe ad maiorẽ natu piſonem. *Fingeris)*

ris) Metaphora à figulis qui propriè fingere dicuntur. Est etiam in his uerbis permissio. *in pretio*) Metaphora ab ijs quæ uendũtur. *non non*) Anaphora. *columnæ*) Synecdoche partis: cũ totum theatrũ significetur. Est etiã Hyperbole quod ea quæ hominũ propria sunt, tribuantur, pręter fidẽ, columnis. *mensas*) Metonymia subiecti pro epulis & conuiuio. *offendo*) Metaphora ab ambulãtibus. *natum*) Metaphora. *Summo discessit*) Metaphora à corporeis: in quibus summũ & infimum cõsiderantur. *armis*) Metaphora, arma enim propriè de bellicis instrumentis dicũtur quibus hostes arcentur. *disciuè trochiuè*) Anadiplosis, similes soni coniuncti sed diuersarum sententiarum. *coronæ*) id est, Spectatores in modum coronæ stantes: Metonymia adiuncti. *Qui nescit*) Occupatio. *Quidni*) Reticentia. *census*) Metonymia adiuncti pro diuite: & adeo diuite ut censitus sit equestrem summam nummorum quę excrescit ad 400 sestertia: quæ ualenr supputatiõe Budæana 10000 coronatis francicis. Census autem participiũ est ἀπογεγραμμένος ut doctus Grammaticam. *Tu*) Apostrophe ad Pisonem. *Minerua*) Metonymia efficientis: cum ars intelligatur, siue industria, siue naturæ bonitas, siue omnia coniuncta: Minerua enim tãquam dea aut parens hisce omnibus, ueteribus præesse iudicabatur.

XIIII. PRAECEPTVM.

POëma censoribus criticisq; postpositis, quod lima illitum non est in lucem ne emittitor.

Id tibi iudicium est: ea mens. Si quid tamen olim,
Scripseris, in Meci descendat iudicis aures
Et patris, & nostras: nonumq; prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris, nescit vox missa reuerti.

RESOLVTIO DIALECTICA:

Id tibi iudicium) Præceptum hoc de poëmate diligenter elimando, per prolepsin proponitur. Etsi enim ô maior Pisonum, inquit poëta, idem sit tibi mecum hac in re iudiciũ: mens una: nihilominus admonitum te placuit de scriptis in posterum tempus edendis: ne in publicum nisi prius diu fideliterq; emendata proponantur.

Membranis) Prima confirmatio ab adiuncto poëmatum nondum emissorum.

Quæ nondum emissa sunt poemata emendari possunt: si quid per negligentiam vitij irrepserit:
Ergo poemata antequam fuerint elimata non prodibũt: sed elimanda priusquam prodeant.

Nescit vox) Altera confirmatio à contrario.

Scripta emissa non possunt reuocari:
Ergo non sunt temere, antequam castigata & iudicata fuerint, emittenda.

RESOLVTIO RHETORICA.

ID *tibi)* Occupatio cum permisione. *id ea)* Polyptotõ. *Metij: patris)* Synecdoche speciei. Enumerantur speciales aliquot iudices pro omnibus indifferenter iudicibus. *aures)* Idem tropus. Ponũtur etiam sensus pro ipso iudicio per Metonymiam subiecti. *nonumq;)* More Grecorum nouennarium numerum pro quouis magno numero usurpauit per Synecdochen speciei.

XV. PRAECEPTVM.

Artem faciendi carminis scire, nemo sibi pudori ducito.

Siluestres homines sacer interpresq; deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis.

Saxa

Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. fuit hæc sapientia quondam:
Publica priuatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atq;
Carminibus venit. post hos insignis Homerus
Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. dictæ per carmina sortes:
Et vitæ monstrata via est: & gratia regum
Pieriis tentata modis: ludusq; repertus:
Et longarum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

RESOLVTIO DIALECTICA.

PRæceptum præsens per finales caussas, partim exemplis specialibus, partim generalibus explicatas, confirmatur. *Orpheus*) Sequuntur specialia finium diuersorum exempla.

Orpheus poeta sacer & diuinus siluestres mores: vitam ferinam: victum fœdum suo poemate emendauit. Amphion ferinos hominum mores ad vrbanitatem poesi sua deduxit. Homerus & Tyrtæus viros toga & armis claros cōcelebrando: eos quos celebrarūt aliosq; ad consimilem gloriā sectandam imitarunt & pellexerunt:
Ergo neminem poeseos pudebit.

Priora duo antecedentis membra illustrantur satis copiosè. De Orpheo quod hinc occasio sit facta fabulæ in qua Orpheus celebratur ac si tigres ac leones animalia ferocissima suæ poeseos dulcedine cicurauerit. De Amphione quod condendo Thebanam arcem & propugnacula, factus sit fabulæ argumentum in quo celebratur quod saxa

quoquo uellet lyra & poësi duceret. Ad summam. Poëtica antiquitus summa solaque sapientia fuit: cuius opera & auxilio iuris descriptio, legum inuentio, domiciliorum cōiunctiones, sacrorum à profanis dignotio acceptæ ferri debent. *dictæ per Carmina sortes*) Hæc fuerunt specialia utilitatis poëseos exempla: sequuntur generaliora.

Oracula & sortes carminibus dabantur. Morum & uiuendi præcepta carminibus comprehendebantur. Regum & principum amicitias bona poetarum pars carminibus promeruit. Ludi tam ad delectationem quā ad corrigendos mores instituti, per poesin initium fecerunt. Animi fessi & defatigati per lyram & Cytharam relaxationem capiunt:

Ergo poesis nemini pudori erit.

RESOLVTIO RHETORICA.

S*Iluestres*) Metonymia adiuncti, id est, habentes mores feroces quales sunt hominum in siluis agentium. *linire*) Metaphora à rebus corporeis. Lino enim est leuiter aliquid induco, &c. *Dictus dictus*) Anaphora. *mares animos*) Metonymia subiecti, id est, uiriles qualis animus Martis fuerat. *Martia bella*) Similis Metonymia. *mares, Martia*) Polyptoton. *exacuit*) Metaphora à corporeis: & præcipue à cote. *vitæ via*) Paronomasia cū Metaphora. *Pierijs*) Metonymia subiecti pro carminibus in nemore Pieri, à Musis illic degentibus, usurpari solitis. *Musa & Apollo*) Metonymia efficientis pro carmine.

XVI. PRAECEPTVM.

VT bonum carmen componas, naturæ felicitatem & artem necessariam esse, certo certius credito.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,

Nec

Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Sententia huius præcepti est, nec artis licet perfecta cognitione: nec ingenij bonitate sed utroq; coniuncto bonũ & laudabile carmen constare.

Alterius sic) Ratio est ex utriusq; cõsentientibus factis.

Ars & natura mutuas se traditura operas conspirarunt & coniurarunt:

Ergo alterum sine altero esse nequit: nec sine ambobus iunctis fieri carmen potest.

RESOLVTIO RHETORICA.

D*Iuite Vena)* Metaphora à uenis metallicis pro fœcundo ingenio. *nec nec)* Epanodos. *rude)* Alia Metaphora à lignis impolitis seu re alia. *alterius altera)* Polyptoton. *coniurat)* Metaphora ab hominibus.

XVII. PRAECEPTVM.

AD labores & patientiam subeundos qui diuinitatem poëtarũ appetit se accõmodato: & contrà uoluptatibus bellum indicito.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer: sudauit, & alsit:
Abstinuit Venere, & vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
Nunc satis est dixisse, ego mira poëmata pango.
Occupet extremum scabies. mihi turpe relinqui est:
Et, quod non didici, sanè nescire fateri.

RESOLVTIO DIALECTICA.

Q*Vi studet)* Præceptum confirmatur duobus similibus: quorũ primum à cursoribus, alterum ab histrionibus sumitur.

Cursores diligenter & cum labore suis exercitijs multos

annos incumbunt vt præmium auferant. Tibicen siue Apollinis laudes siue aliud quidpiam decantaturus à teneris annis plurima patienter pertulit: magistriq; iniurias est perpessus:

Ergo similiter poëta labores patientia superabit vt laborum fructum, poëtæ diuinitatē & immortalitatem, lætus præcipiat.

Nunc satis est) Amplificatio est præcepti ex dissimilibus adiūctis. Ironicè enim perstringit & digito signat sui temporis poëtarū mores: quibus iactantia & inanis gloriatio sine omni studio & opera parta, carior laborum molestia habebatur. Quibus autem uocibus hanc suam iactantiā representauerint ex poëtæ prosopopœia apertum redditur: ut nulla hîc repetitione opus sit.

RESOLVTIO RHETORICA.

QVi studet) Allegoria à cursoribus. *Venere)* Metonymia efficiētis pro uoluptatib. à dea Venere initium facere uulgò iudicatis. *Pythia)* id est, carmen de Apolline. Metonymia subiecti. *Nunc satis)* Ironia, cū prosopopœia. *Pango)* Metaphora: Herbæ enim propriè quæ terræ infiguntur pangi dicuntur. *mira)* id est, docta quę admiratione digna sunt: Metonymia adiuncti. *Occupet)* Allegoria à pueris cursu certantibus.

XIIX. PRAECEPTVM.

BOnus poëta corrigendis suis carminibus neutiquam adulatores sed prudentes & fideles censores qui & uelint & possint ea elimare, euocato & adbibeto.

Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.
Si verò est, vnctum qui rectè ponere possit:
Et spondere leui pro paupere: & eripere atris

Litibus

Litibus implicitum: mirabor ſi ſciet inter
Noſcere mendacem verumq́; beatus amicum.
Tu ſeu donâris, ſeu quid donare voles cui:
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Læticiæ. clamabit enim pulchrè, benè, rectè:
Palleſcet ſuper his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet: tundet pede terram.
Vt, qui conducti plorant in funere dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis vrgere culullis.
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes:
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quinctilio ſi quid recitares, corrige, ſodes,
Hoc aiebat, & hoc. melius te poſſe negares,
Bis, terq́; expertum fruſtra: delere iubebat:
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum quam vertere malles:
Nullum vltra verbum, aut operam inſumebat inanem
Quin ſine riuali, teq́; & tua ſolus amares.
Vir bonus, & prudens verſus reprehendet inertes:
Culpabit duros: incomtis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus: nec dicet cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent.
In mala deriſum ſemel, exceptumq́; ſiniſtrè.
Vt, mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana:
Veſanum tetigiſſe timent, fugientq́; poetam,

Qui

Qui sapiunt: agitant pueri incautiq; sequuntur.
Hic, dum sublimes versus ructatur, & errat:
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foueamúe: licet, succurrite, longum
Clamet, io, ciues: non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui scis, an prudens hûc se deiecerit? atq;
Seruari nolit? dicam, Siculiq; poetæ
Narrabo interitum. deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles: ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. sit ius, liceatq; perire poetis.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet: vtrum
Minxerit in patrios cineres: an triste bidental
Mouerit incestus. certè furit: ac velut vrsus,
Obiectos caueæ valuit si frangere clatros,
Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet, occiditq; legendo:
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

RESOLVTIO DIALECTICA.

HOc præceptum per axioma copulatum commodè explicatur. Poëta & fugiet adulatores: & fideles censores in corrigendis suis carminibus adhibebit. Vt autem axiomatis copulati ueritas sit firma necesse est utramq; eius partem ueram esse. Quod in hoc nostro axiomate obseruari plurimis conuincitur argumentis. *Vt præco ad merces)* Sequuntur primę partis confirmationes, fugiendos esse adulatores in carminum emendatione: atq; prima est ab aduersis.

Diues

Diues poëta se adulatoribus committit:
Ergo bonus eos fugiet.

Ne uero quis poëtam erroris insimulet, quod falso diuitem poëtam bono opponat cũ non sint opposita, qualem hîc diuitẽ intelligi cupiat ex simili, adiunctis & effectis diuitis poëtę demonstrat. Diues spe lucri assentatores ad laudanda sua carmina cõuolare & sursum deorsum cõcurrere iubet. Diues, agris & pecunia in usurã elocatis, sibi adulatores cõciliat. Pro pauperibus fideiubet: eosq; in periculis & contentionibus intricatos expedit. Eos qui uncti è balneo redeunt lautè tractare potest. Ad summam, diues talis est, quòd assentatoribus inhiando non ualeat uerum à falso discernere. Sic itaq; suis titulis ornatus & depictus diues nihil à malo poëta differt: ut non iniuria quę is approbet, bonus poëta detestetur.

Tu seu donaris) Hæc uerba præcipuè præcepti sententiã significant: una cum adulatoris ex adiunctis & effectis descriptione. Quod plenus lętitię clamabit pulchrè, benè, rectè, pallescet, saltabit: Immò sit pręficis mulieribus, iure cõferendus: quæ sæpius simulanter plus mouebantur quàm qui ex animo dolebant.

Reges dicuntur) Alia confirmatio à collatione maiorum.

Reges non admittunt adulatores: sed in contrahẽda amicitia prius, certis indicijs hominũ animos explorant: ne pro veris amicis adulatores sibi lucrifaciant:
Ergo, re non prius perspecta aut explorata, poeta adulatores nequaquam est adhibiturus.

Si carmina condes) Vltima huius partis confirmatio ab adiunctis poëtæ.

Poetam, non est fas & honestum falli ab hominibus astutis & subdolis quos rectè εἴρωνας appellamus:
Ergo neq; sunt adhibendi adulatores.

Quinctilio si quid) Talis fuit primę partis nostri axiomatis copulati confirmatio & amplificatio: secunda pars quæ sequitur similiter copiosè confirmatur. Prima autem confirmatio sumitur ab exemplo Quinctilij.

Quinctilius fuit liber, fidelis & incorruptus alienorum scriptorum iudex:
At Quinctilius est ad corrigenda scripta adhibitus:
Ergo fideles & liberi iudices sunt adhibendi qui ἀδωροδοκήτως pronunciant & sentiunt.

Propositionem corroborat poëta uarijs effectis Quinctilij. Quinctilius auditis carminibus liberè de uitijs corrigendis monebat: quæ si maiora fuêre quam ut mutatione mediocri emendarentur, ad incudem carmē remittere pręcepit & de nouo incipere. Hîc si poëta se rebellem præbuit nullum relinquens eius admonitioni locum: ne uerbum ullum amplius de corrigendis carminibus faciebat: quin poëta solus sua carmina tanquam simia pullos admiraretur & deoscularetur.

Assumtionem tanquam quotidiana experientia notam sine confirmatione unico uerbo attulit. *Si quid recitares.*

Vir bonus) Confirmatio alia à descriptione boni censoris seu iudicis, per effecta.

In emendatione carminum sunt vitia demonstranda & tollenda:
At bonus vir seu censor bonus id præstat adijciendo, detrahendo, mutando:
Ergo talis est adhibendus.

Fiet Aristarchus) A simili confirmatio.

Fidelis censor Aristarcho similis erit:
Ergo liberè vitia qui corrigat, censor adhibendus est.

Nec decet) Per prolepsin sumtam ab adiunctis poëmarum amplificatur præsens pars axiomatis: Sic enim ex adiunctis inferret aliquis.

Car-

Carmina sunt inanes res nec magni momenti:
Ergo in ijs emendandis non est offendendus amicus.

Respondet Horatius hęc minimè esse leuia & inania sed tanti ponderis, quod res grauissimas, neglectum & contemtum, secum poëtæ adportẽt, tanquã effecta si negligenter conficiantur. Est igitur in prolepsi parologismus adiuncti cum falsum adiunctum pro uero ponatur. Peccaturq́; contra legem τῶν παντὸς: cum ex sententia falsa illata sit complexio. *Vt mala quem)* Primum effectum mali carminis derisionẽ amplificat à simili. Poëta adulatorib. obuius, est similis homini morbo regio & mala scabie laborãti aut mentis abalienatione & furore correpto: quem omnes sapientiores tanquam uesanum fugiunt: & contrà quem pueri & inciuiliores in plateis ludibrij caussa persequantur.

Hic dum sublimes) Secundum mali carminis effectum neglectum seu auxilij priuationem etiam à simili amplificat.

Poëta adulatoribus deditus sibiq́; placens & altos spiritus sumens, est ueluti auceps qui capiendis auibus intẽtus in foueam cadit: unde, licet extremè clamet hominumq́; operam imploret, nemo tamen sit qui eum extrahere curet.

Si quis curet) Conclusio est amplificationis cum acclamatione. Quin iure & suo merito pereant & derideantur tales poetæ: idq́; propter efficientem caussam uoluntatem liberam & finem uitiosum, gloriam inanem.

Syllogismi conclusio talis esse poterit.

Qui cupit de industria spe inanis gloriæ perire non est seruandus.
Multi poetæ tales sunt:
Ergo non sunt seruandi.

Propositio est confirmata à simili: quod qui inuitũ seruet sit ei similis qui hominem occidat uolentẽ uiuere: inuito enim in morte uita est: & inanis gloria uera laude dulcior.

Confirmatur etiam ab effectis talis poëtæ. Qui enim talia in animum induxit, etiam sæpissimè in meliorem partē allectus ad gloriolam suam tanquam sus ad lutum recurrit.

Assumtio nititur similitudine ab aucupe qui sæpius ut à proposito desisteret rogatus ne in foueam caderet: non tamen abstinuit.

Deinde autoritate poetæ: & exemplo Empedoclis qui spe immortalitatis allectus sponte sua se in Ethnam præcipitem coniecit. *Nec satis apparet)* Alia confirmatio quare malo poetæ sit pereundum à caussa efficiēte principali deorum iudicio: quæ præteritione Ironica est exornata.

Cui dij pœnam grauibus moti delictis, immiserant, ei est necessariò pereundum:

Dij malis poetis immiserant ut se præbeant adulatoribus Ergo vt pereant fas est. *(exedendos:*

Propositio significatur his uerbis. *Nec satis apparet.*

Assumtio exponitur per ea: *certè furit*: quæ postea collatione similiū effectorū mali poetæ cum urso & hirudine, ad finē, illustratur. Vrsus fractis cancellis sine discrimine in omnes homines impetū facit eosq; fugat: Sic malus poëta dimissus liberè per adulatores, furore suo spectatores & auditores fugat: ac si quem nactus fuerit patientem auditorem ei ad necem usq; nugis suis molestus est.

Hirudo si homini in pedem irrepserit aut cum gratia admissa fuerit: non se deijciet hominemúe est nisi plena cruoris demissura: Sic malus poeta si in aliquē inciderit patientiorē auditorē, prius illi uitam auferet quàm abire permittet: nisi ad satietatem suis nugis fuerit refertus.

RESOLVTIO RHETORICA.

D*Iues, Diues)* Anaphora. *ponere rectè vnctum)* Synecdoche speciei: poni cum cōmodè, pars est lauti conuiuij. Interpretor autē hic unctū eum qui è balneo, mo

re ue-

re ueterum ad cœnam unguēto delibutus uocabatur:non unctum pro delicato ferculo. *leui)* Metaphora à corporeis quæ huc illuc impelluntur & mouentur. *atris)* Similis Metaphora. *Tu)* Apostrophe ad Pisonē. *donaris donare)* Polyptoton. *clamabit)* Prosopopœia adulatoris. *rorem)* Synecdoche speciei pro quouis humore & imprimis pro lachrymis. *funere)* id est, in exequijs quæ funeri peraguntur: Metonymia subiecti. *Derisor)* id est, adulator Synecdoche generis: adulator enim species derisoris est. *vulpe)* Metaphora ab astutia uulpis. Videtur allusio esse ad uulpeculā Aesopicam blanditijs coruo illudentem: eumq; ad cantandum sollicitantē. *corrige sodes)* Prosopopœia personæ Quinctilij. *Hoc & Hoc)* Epanodos. *malè tornatos)* Metaphora à fabris lignarijs. *incudi reddere)* Metaphora à fabris ferrarijs: quibus cū forma quam parant non successerit: rursum in rudem formā redacta materia ex integro opus efficiunt. *Sine riuali)* Metaphora à ueteribus quibus dicebantur riuales qui in agro cōmunem riuū possidebant: propter quem sæpe inuicē dissentiebāt. Inde dicti riuales qui eandē mulierē, quod sine cōtentione uix accidit, deperibāt. Et hîc per Synecdochen speciei pro omni æmulo ponitur. *duros)* Metaphora à corporeis: quales postea plurimæ comitātur. *Aristarchus)* Metonymia subiecti pro tā liber in corrigēdis uitijs ac Aristarchus fertur fuisse. *nec dicet)* Prosopopœia cum interrogatione. *mala mala)* Epanodos. *iracunda Diana)* Metonymia caussæ efficientis. Sumitur enim Diana pro furore cœlitus in hominē dimisso: cū ex earum dearū numero Diana sit quę furorē immittant. *ructatur)* Metaphora nota. *Licet succurrite)* Prosopopœia cū exclamatione. *Curet curet)* Epanodos. *Qui scis)* Prosopopœia personę astantis cū interrogatione & aposiopesi. *Dicam)* Dialogismus est Horatij

cũ persona astante. *Siculi poetæ*) Metonymia subiecti pro Empedocle. *Deus*) Similis Deo Metonymia subiecti. *Sit ius*) Permissio. *idem*) Metonymia subiecti. Idẽ pro simili, more græcorũ usurpatur ταῦτ᾽ ἐκείνῳ. *facit fecit*) Polyptoton. *nec nec*) Anaphora *Homo*) Similis Metonymia ut in Deus & Aristarchus pro sano & intelligenti. *Nec satis apparet*) Preteritio Ironica. *minxerit in patrios cineres*) Cineres pro sepulchro paterno Synecdoche membri. Fit etiam hic Synecdoche speciei cũ mingere in paternũ sepulchrum summatẽ pro quouis modo mortuos dehonestare. *triste bidental*) Metonymia adiũcti. Est enim Bidental locus fulmine ictus: sic dictus quod nulli homini plebeio aut uitijs inquinato, integrũ erat eum attingere antequã bidente & duos annos nata oue per sacerdotẽ expiaretur & purgaretur. *Triste*) per Metonymiam effecti: quod locus fulmine ictus tristis sit. *incæstus*) Synecdoche speciei pro quouis crimine pollutus. *Indoctum, doctumq́;*) Paronomasia. *Certè furit*) Allegoria ab urso. *non missura*) Allegoria ab hirudine seu sanguisuga.

RESOLVTIONIS DIALECTICAE
& Rhetoricæ, in artem poeticam Horatij, summa.

HOratij ars poetica exemplo fuit quomodo puero oratorum & poëtarum scripta meo iudicio (quamuis parum iudico) explicanda essent: ut propositæ quæstionis Aristotelicam expositionẽ perciperet: ὅτι καὶ διότι, quia & quamobrem. Professus est Horatius se certo præceptorum numero poëtam instructurum & cõformaturum. Promissa magna cum laude expromsit & executus est, ὅτι est. Sed διότι quamobrem inquies hanc sibi laudem peperit: partam obtinuit: & quæ caussæ sunt quibus id effectum est? Autoritas poëtæ tanti nominis & eruditionis plurimũ posset.

posset. Vocis gestusq́ gratia longè plura: quæ tamen hîc nō reperiuntur. Vix enim semel ac ne uix quidem proprio testimonio rationibus destituto usus est poëta. Gratia autē uocis gestusq́ hîc omninò absunt: cū non sint uiua uoce hæc promulgata præcepta. Quibus itaq; Inuentionis dispositionisq́ logicæ: & elocutionis rhetoricæ, etsi iacentes & spiritu uiuo destitutas tamen magnas caussas intueri licet. Quę ut à nobis sint Aristotelica ἐπαγωγῇ καὶ ἱστορίᾳ subductæ ex præcedentibus satis apertum est: & hic summatim repetendum.

E topicis inuentionis eleganter omnia argumenta sunt adhibita: frequentissimè tamen caussæ, effecta, subiecta, adiuncta, comparata. In analyticis prioribus syllogismi pleni rarum usum inueniemus. Quia multa sunt αὐτόπιστα per se credibilia: & τῷ νῷ intellectu simplici contenta, quæ syllogismi ambitum longiorem reijciunt: & quæ syllogismum capere possunt, una parte exposita sæpe prius concipiuntur quam uerbis exprimantur. Attamen ubi res postulat omni genere, & simplici & composito cōcluduntur. Posterioris analytici & methodi si uiam artificiosam spectes: uis eius quædam hîc expressa est sed non apertè posita. Titulus enim huius scripti quod summum & generalissimum est continet. Hunc comitantur specialiora præcepta pro naturę suæ claritate, donec ad specialissimum in singulis perueniatur. Nihilosecius, cū non satis de horum cōmunitate & noticia cōstet: nō admodū, de hac re sollicitus poeta, artificiosam methodum de industria occultans per methodū crypticam sibi laudem cōparauit: ac sæpe cōiungenda disiūxit: heterogeneaq́ pro homogeneis reposuit.

Cum sic logica retexta sit rhetorica similiter est retexenda. Troporum itaq; nullus neglectus est aut spretus. Metonymiæ & Metaphoræ frequentissimus est usus. Synec-

doches rarior. Ironiæ inter tropos rarissimus. Ex figuris tam uerborum quam sententiarũ, exceptis duabus aut tribus, omnes adhibentur, frequentissimè tamen omnium Anaphora & Epistrophe. Hæc Elocutionis ornamenta si studiosius contemplêre, uidebis in tropis & figuris uerborum plus gratiæ & uenustatis; in figuris sententiarum plus roboris & firmitatis.

Requiras iam si libet διότι quamobrẽ poëta tanta cum laude poetam instruxerit: & respondebitur ex pręsentibus uirtutibus. Quia inuentione dispositioneq; logica: ac elocutione rhetorica poetæ officium, opes & uirtutes magna fidelitate recensuerit & confirmârit. Hæc autem interrogantem hortor & moneo, ut in alio exemplo tantas uirtutes quærat: inuentas meditetur: & consimili aliqua caussa posita imitetur. Sic artes exemplis propositis melius quam hactenus cognoscet: cognitas felicius exercebit.

FINIS.

Ex erratis, quæ propter temporis angustiam: & autoris in exemplari indiscretam picturam irrepserunt, grauiora sic candidus lector emendabit.

Pagina 11 linea 20 lege Maiorum pro Minorum. 32. 2. trimetris. Ibidem 21. nimium, 33 linea ultima: exta. 40. 30. priuata est 50. 14 quicquid. 51. 1[illegible]niungendam. 55. 11. ô maior.